
IHS


6
28 I
20

TROPHÆA PARALLELA


siue

VETERVM BOICÆ GENTIS
HEROVM, QVI ANTE CHRISTVM
natum claruerunt, illustria facta

COMPARATA CVM TRIVMPHIS
SERENISS: PRINCIPIS

MAXIMILIANI

COM: PALAT: RHENI, V. BOIAR:
DVCIS, &c. S. R. IMP: ARCHIDAPIFERI,
ET ELECTORIS;



Eidemq;, cùm

SACRI ROMANI IMPERII SEPTEMVIR

Collegij Mon. Soc. à Jesv. cat. Inscr.

FERDINANDO II.

IMPERATORE AVG: P. F. P. P.
solenniter inauguratus esset,

B. oblata S.



à Collegio Soc. IESV Monacensi.


MONACHII, Formis Nicolai Henrici, 1623.

SERENISSIMO,

AC

POTENTISSIMO

PRINCIPI,



D. D.

MAXIMILIANO,

Comiti Palatino Rheni, Vtriusq;

Bauariæ Duci,

S. Romani Imperij Archidapifero, ac

ELECTORI,

VICTORI, TRIVMPHATORI,

Patri Patriæ,

Domino ſuo Clementiſſimo,



Collegium Societatis IESV Monacenſe

Æternitatem.



DEbebantur iam olim feliciſſimo trienio, perpetuis Ser:tis V.ræ Victorijs, & tot bonæ cauſſæ triumphis nobilitato, ſua trieterica; ad quæ celebranda paſſim fe-

riatæ litteræ propè conuicijs excitabantur; nam qui videbant iam diu vnicum hoc esse Famæ negotium, Seren.[ti] V.[æ] præconium per vtrumq; Orbem facere; neq; ex Romano Imperio omni, rebus à Seren.[te] V.[a] gestis gloriosius quidquam in ora hominum mitti, & veluti datâ loquendi lege, alium sermonem rarò, plausum nunquam audiri, præterquam MAXIMILIANVM Principem ad Cælum efferentium, eiq; priuatas fortunas, & felicitatem publicam transcribentium, vt Auctori, aut commendantium sua vota, & repositas spes, tanquam certissimę tutelæ, & communi Patrono; commouebantur sanè grauiter, Musas Boicas tot domestica decora silentio transmittere; cùm inter has canendi illecebras, & tam benigna irritamenta, obmutescere difficilius crederetur, quàm loqui, illis pręsertim, quibus sola eruditæ vocis gloria, quasi dote, relicta est, & nulla nisi ex facundo ore commendatio. Neque hîc sua illas verecundia tuebatur, quâ nullum honestius indisertis pallium prætexitur; neque ipsa adeò libera vox, profitentium, absterreri se magnitudine operis; linguã ingentibus factis non suppetere, alio ore canendis; iustissimas laudes culpâ ingenij deteri, vbi tenues grandia conantur; cùm maximos omni æuo viros nemo suo ipsorum pede, sed scribentis modulo metiatur; vt tantus hodie quisque sit, quantum chartæ, non semper fide-

fidelissimę ostendunt: eoq; ridendum maximi Regis iudicium fuisse, pro vultu adeò soliciti, vt fingi, pingiq; non nisi felicissimis manibus vellet, imaginem tamen animi denormandam, deformandámque Chærilo cōmitteret, qui carmine fœdo splendida facta oblinens, Alexandro suum etiam nomen detraheret: Cùm ergo neque hoc verissimum silentij patrocinium admitteretur, defendendę alienâ modestiâ fuerunt, quę suâ non potuere; nimirum Ser.tis V.æ imperio coërcitę, neque officio suo, neque priuato affectui, neque votis publicis satisfecerunt: Prouolauerant iam tum in Ser.tis V.æ occursum, cùm maximis rebus breuissimo tempore gestis, pacatâ iussu Cæsaris Austriâ, Bohemiâ propè prius victâ, quàm visâ, in patriam rediret; quo aduentantem cum triumphali accipere curru gestirent; iámque ijs architectantibus pleni verissimis encomijs surgerent arcus, obelisci, pyramides, quæque alia cohonestandæ virtuti, optima eiusdem æstimatrix, neque ostentatrix minor Roma inuenit, & victoribus suis dicauit; Ser.tas V.a rarissimo exemplo, & cui victorias ipsas vix ausim æquare, suis ornamentis, & triumpho ipsa intercessit, Musisq; cum omni apparatu, conatuq; suo ad pristinū otium compactis, monumentum Victoriarum tum quidem aliud extare non voluit, quàm quod in omnium animis æternum, nulloque vincendum æuo, suis

ipsa manibus, Seren.tas Va. inædificauerat; eius consilij, factíque rationes neque nunc quidem omnes proditæ; nisi quòd etiam illi, quibus prçter admirationem in mentem nihil venit, in Ser.tis Væ. iudicio, quod pœne vicem oraculi est, sponte animi acquiescunt: Illud constat, de gloriâ nihil vsque adeò esse diminutum, vt non modica ad eandem facta sit accessio; quod in simili re Cato sibi promiserat, *Plutarch. in apoph. Roman.* qui nec marmoreus, nec æreus superesse funeri suo voluit, maiori sibi apud posteros laudi fore ratus, si ab ijsdem olim inquireretur, cur Catoni statua erecta non esset, quàm si in omnibus triuijs etiam aureus prostitisset. Quid? quòd & pudori nostro consultum est, quos in ipso magni operis conatu cùm maximè sudantes, & manus & ingenium defecisset; iustissimâ desperatione ortâ, vllam heroici animi lineam, in quacunque nos tabulâ expressuros, quæ fortissimi, felicissimíque Principis igneum vigorem aliquà æmularetur; scimus Iphicratem, cùm statuam sibi ab Atheniensibus positam inspexisset, subridentem illorum erga se studium collaudâsse quidem, negâsse tamen illos saxo dedolato, & pauculis in eodem exaratis litteris, magnum glorię suę momentum adiecisse; damnare se omnium statuariorum manus, scalpra, cœlũ; nam sese cruento gladio columnam sibimet in Peloponneso statuisse, quæ ad sidera vsque

excrescens statuæ Dominum cælo insereret: *Muret. l. 8. Var. Lect.* vt proinde neq; nos cum Ser.^tis V.^æ virtute paria facturi fuerimus, si angustius aliquid superioris Austriæ solo, vel incinctis Boiohemi saltibus, aut certè fatali illo colle, vbi de summâ rerum decertatum est, pyramidis nostræ area occupâsset. Præuidebat etiam præsagus futuri Ser.^tis V.^ræ animus, quanquam impietati tantum sanguinis esset missum, neque sic quidem insaniam exemtam; Hydram illam ab ipso ferro furorem sumpturam, & rediuiuâ rabie sponte in clauam incursuram, credo, vt hoc olim tumulo inscriberet, licuisse sibi vnâ, & simplici morte defungi, mille maluisse; stabant alibi hostium manibus excitata propugnacula, improbo nomine, & vanissimæ ambitionis titulo, Cæsaris, & Seren.^tis V.^ræ gladios prouocantia, duo maxime illi ad Haidelbergense promontorium, si superis placet, adsiti Cæsaris & Boio Mastiges, quibus tamē haud paulo minùs, quàm Vlysses nido suo ad Ithacæ scopulos affixo sese trossuli illi iactitabant; & vt planè Reges scires, ex illo altero impudentię asylo, quod contra Cæsarem muniuerant, visendâ magnitudine Coronam regiam, sed ligneam suspendêre; quid nisi ludibrium fortunę futuram? quando mox cum turri ipsa tormentorum pilis disiecta, documento fuit, contra Seren.^tis V.^ræ fulmina nec auream, nec lauream coronam

quid-

quidquam posse. Differebatur ergo Musarum gratulatio eo vsque, donec totũ virtutis, & Fortunæ cursum Ser.tas Va. peregisset, quasi tunc demum statui signa victoriæ possent, cùm hostilia omnia iacerent, etiam illa, quę vani illi augures ominabantur æterna: Sanè, nisi fatigatâ naturâ, curules machinæ non rotis, sed pinnis leuarentur, nunquam futurũ esse credebant, vt quanti posset illud insolentię propugnaculum, Boicæ virtuti irritandę, an irridendę? alto monte situm; sed breui miles Tuus, & totus tonantis ferri apparatus supra caput fuit, vt neque inexpugnabilis locus, nec suus illos iocus tueretur; státque hodie, quantumuis luxatum, iugulatæ dicacitatis monumentum, & mira vicissitudine *Væ victis* ingeminat. Nimirum, quod Carano Macedonum Regi contigisse narrant, cuius trophæa intempestiuè in mortalium, imortaliúmque odium erecta, erũpens ex Olympo monte Leo disiecit, *Pausan. in Bœot.* id repetitum in hos gloriosos milites exemplum videri tunc potest, quando Boicus Leo, suas & ipse Olympo vires trahens, in omnia ferocientis superbię munimenta, felici impetu, grassatus, neque vllam virtuti inuiam viam monstrauit, neque vllum perfidiæ asylum tutò posse collocari. Iam quali apparatu, quanto militum robore, quâ machinarum copia, quàm præceptâ victoriæ spe in aciem Turlacensis Marchio descendit!

magna omnia ſpirans, & Bauariæ tam certus, vt locum ſpolijs diuidendis animo ab eo iam captum fuiſſe, feratur; quaſi id ſolum dubitâſſet, an in monte Albano, an potiùs in Capitolio triumpharet. Sed quid? Iul. Cæſaris ingenio, ſed non fortunâ vſus, Venit, Vidit, Victus, & caſtris exutus eſt; adeò vix Tillij immortalis Herois Ser.tis V.æ auſpicijs pugnantis conſpectum tulit, qui humanis viribus ſe debellandum non credebat; neque fortaſſe animo ea in re falſus, nam in Ser.tis V.æ caſtris Deum reperit, ſenſítque, quem ille inter hoſtes ſuos non numerauerat; meruerat tamen. Halberſtadius verò, quàm feliciter à Tuis interceptus, fuſus, fugatúſque eſt? pedum beneficio tunc elapſus, vt paulò poſt victam manum alteram porrigeret, alteram abijceret etiam, ferreâ deinceps pugnaturus, credo, vt noſtri ſæculi Sergius diceretur. De Manhemio quid dicam? cuius famæ vnicum illud fortaſſe obeſt, quòd tam citò Ser.tis V.ræ fortunæ ſuccubuit; nam manus dedit, neque ferro, neque igni vexatum, niſi quem illi ſubdidêre, qui compeſcere etiam aliunde iniectum debuiſſent, ne nobiliſſimo caſtro vllum ſtigma inureretur; iniquitatem fati ſui accuſantibus peritiſſimis aduerſæ partis Ducibus, eijci ſe fortiſſima vrbe, quæ contra vim omnem etiam ignauos tueri poſſet, niſi Boius hoſtis obtigiſſet, cui vni nihil ſatis munitum objiceretur;

retur; nam cæteroqui poſt Manhemium nulli vrbium pudori eſſe poſſe, vinci: tot ergo ipſorum confeſſione hoſtium inuicta propugnacula cùm Ser.tis V.æ auſpicijs robori militi ceſſiſſent, quis non crederet, occurſurum aliquando placitum marmor, cui tot victoriæ inſcriberentur, cùm hoſtes à triumphis, quos nullos egerant, & à Cæſare, Boiiſque proculcatis, ventoſa turribus ſuis vocabula, miſeri Nomenclatores inderent. Athenienſes, poſt nobilem in Marathone pugnam, cùm illud ipſum Parium marmor reperiſſent quod Perſæ certam victoriam animo præcipientes, eo detulerant, trophæo erigendo deſtinatum, delectati ludo fortunæ, Vindicem ex eo ipſo lapide Deam, Nemeſin illis appellatam, Phidiæ manu factam erexêre, victoriæ modeſtiſſimum ſymbolum, relatâ facti ad vltores Deos gloriâ; *Pauſan. in attic. l. 1.* quâ re quò propiùs ad pietatem acceſſêre, eò clariùs Ser.tis V.æ in abdicandis triumphalibus ornamentis conſilium aperiunt, in cuius ore & pectore frequens illa optimi Regis vox eſt, canere ſoliti: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Nam quod Titus Cæſar non ex ingenij aut ſuperſtitionum, quas ſectabatur, modeſtiâ, ſed Numinis impulſu confeſſus eſt, in nobiliſſimæ vrbis excidio, ſe Deo ſolam manum commodâſſe, Illum pugnâſſe, Illum viciſſe: id ipſum quanto ſinceriore affe-

ctu,

ctu, quanto veriore animi orísque consensu V^a. Serenitas protestari hodiéque solet, hac vnâ aureâ vòce gratulantium interpellare præconia solita, quasi in Deum iniurij essent, qui vllum lauri folium, dignissimo Ser^tis. V^ræ capiti imponendum, de triumpho Numini debito præcerperent. Mactè hac virtute, Serenissime Princeps! quâ prisca Constantini exempla renouari, pij omnes, non sine gestientis animi lætitia, sentiunt, ad cuius æmulationem assurgere omnibus victorijs est gloriosius; cui, cùm post victum Maxentium æterna vrbs *Liberatori suo, & Fundatori quietis* testatura beneficij memoriam, triumphalem arcum erexisset, *quòd instinctu diuinitatis, mentis magnitudine, cum exercitu suo, tam de Tyranno, quàm de omni eius factione, vno tempore, iustis rempublicam vltus esset armis*: quanquam diuinitatis nomen alienus etiamnum à Deo Senatus in arcu inscripsisset, ne tamen aliorsum aliquando vox ea raperetur Christo abiudicata, nobile ipse & *Cruce* insignitum trophæum vero Deo, vrbe mediâ statuit, hoc epigrammate adiecto: *Euseb. in V. Constant.*

Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio, Ciuitatem vestram Tyrannidis iugo liberaui, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinæ amplitudini, & splendori restitui.

Quod, vt inter trophæa Christiana primum fuit, etiam erudiendæ Posteritati, Regibúsque monendis fixum, quibus signis, quibus armis fidendum potissi-

mum ſit, ita poſt tot ſecula impietatis aſſeclas in ruborem (ſiquidem erubeſcere impietas poſſet) conijcit, qui, cùm Chriſti diſciplinam inani oſtentatione iactitent, quanti illum faciant magnis documentis teſtantur, quandò ijs Crucem aſpicere, quâ Conſtantini pius animus adeò gloriabatur, mala maxima Crux eſt; & cùm Imp: ille hunc pulcherrimum victoriarum fructum crederet, ſi Crucis trophæum erexiſſet, hi victorias quærunt, vt toto illud Orbe proſcribant; quod, cùm Pragæ auſu nefario iam perfeciſſent, certè Conſtantinus reuocandus fuit, qui Dei iniurias vlturn iret, & in hoc ipſo ſigno vinceret, cui noui iſti Titanes manus erant admoliti; & me quidem huius nominis in Ser.tem V.ram collati nunquam pœnitebit, quando vtrinq; eadem pugnę cauſa, eadémque victorię facies fuit; vtrique contra iniuſtos arma ſumta Dominos, Romam Ille Falſo Romulo (ſic Maxentium vetus Orator appellauit) Ser.tas V.ra Pragam Ficto Regulo ereptum ibat, & vt etiam complementa Victoriæ conſpirarent, vtrinq; elementa meliorem cauſam iuuerunt; quod enim illic Tibris fecit, in partem laboris adſcitus, vt aliquod cędis compendium feſſis dexteris eueniret, maxima exercitus parte hauſtâ; hoc Ser.ti V.ræ Moldaua præſtitit, quem ego quidem Ennodij verbis, *Fluuiorum ſplendidiſſimum* appellare poſſum, vt qui Boiohemi *ſordes diluerit &*

effuſam

effusam ex ſuppurante Caluini ſtigmate, *fecem ſuſceperit, ſine diſpendio puritatis.* At enim quando Ser.^tas V.^ra pietate animi & felicibus armis ad conſortionem laudúm Magni Conſtantini penetrauit; & quæ votorum ſumma fuit, trophæum Crucis alibi quidem impiâ manu conuulſum, & proximum ruinæ ſtabiliuit, alibi prolapſum, conculcatúmque vindicauit, & priſtino loco decoríque reſtituit, liceat tandem Muſis aliquâ Romani Senatûs erga Conſtantinum humanitatem æmulari, vt quemadmodum ille triumphalem ſuo liberatori fornicem molitus, optimorum, quos ante illum vnquam habuit, Imperatorum, Marci Aurelij & Antonini Pij vetuſta monimenta in Conſtantini arcum transſumpſit, quod ſciret ipſum Antoninorũ nomen adeò venerari, vt Marcum & Pium inter Conſtantios Claudióſque, velut Maiores ſuos, aureos formauerit, adoptans veterum virtutes ſuis moribus congruentes; *Lamprid. in Heliogabalo.* ita Muſis noſtris fas ſit antiquiſſima maiorum Tuorum decora, & primorum Boicæ gentis heroum facinora, quę pauca de multis extra metum inuidiæ ſuum æuum, tam longo ſupra mille annos ſpatio porrectum collocat, in lucem & theatrum producere; vt quod etiam liuor ab ijs rectè factum, atque ordine iudicat, cùm id ipſum tantis à Seren.^te V.^ra auctum viderit incrementis, etſi malignitate ingenij lau-

dare non poteſt, detrectare tamen erubeſcat; quódque ſummum Satyricus tormentum putauit, Virtutem videat, intabeſcátque relictâ; quanquam quis iſte furor? (verba ſunt quæ Seneca Socrate digna putauit) quæ iſta inimica Dijs hominibúſque natura eſt? infamare virtutes, & malignis ſermonibus ſancta violare? Si poteſtis, bonos laudate; ſin minùs, tranſite; quòd ſi exercere vobis tetram iſtam licentiam placet, alter in alterum incurſitate; nam cùm in cælum inſanitis, non dico ſacrilegium facitis, ſed operam perditis. At enim his belluis, quæ famam ex ſanguinario dente ſibi quærunt, quem virtuti, vnicis aurei ſæculi reliquijs, infigunt, bonam mentem precari faciliùs eſt, quàm dare. Nos, Sereniſſime Princeps, qui optatiſſimo tempore fruimur, quo virtuti Tuæ non ex ſola conſcientia merces datur, quando *Magnus Cæſar* pro ſe, & republica, iam diu opum, & ipſius adeò ſanguinis prodigum Septemuirali Purpurâ inſigniuit, & Pomum aureum Romani Imperij ſymbolum in illa dextera collocauit, quæ illi non vnius arietis impetu quaſſato, & ruinam minanti pro Atlante fuit; inter illos eſſe voluimus, qui optimũ, pulcherrimúmque factum publico plauſu proſequuntur. Et quando hic honos ad Gentem Boicam vniuerſam pertinet, etiam illam, quæ nos fatorum lege, ad plures pridem anteceſſit, euocare ad triumphi ſpectaculum

culum antiquissimum quemque Maiorum Tuorum, æquum duximus: quandoquidem ex thesauro Memoriæ, quæ Musarum mater putatur, ornatius digniúsque Musæ depromere nihil potuêre: Testatum etiam hac opellâ orbi facient, id, quod de Æacidis Pyrrhus olim iactare solitus est, Boios semper Viros fuisse; id est, inter magnarum cogitationes & studia virtutum, fecisse etiam nostro æuo miranda, quo rectè facta rectiùs quidem intelliguntur, sed sæpe intra disputationes hęrent, & frequentiùs audiuntur, quàm videantur, non suo vitio; publicum enim non horrent, & nolunt inter miracula censeri, quæ solâ raritate commendantur. Satisfiet itidem Ser.tis V.ræ modestiæ, quæ cùm pulchriores in virtutis theatro Actoris partes, quàm Auditoris putet, cùm heroicis spectaculis alienos oculos dudum occupârit, aures soli conscientię permittit, quæ etiam cùm laudat, ex scholâ Rhetorum, nihil habet fuci, suo virtutem colore expressura. Pescennium tamen Imp.em Sertas V.ra imitabitur, qui quanquam laudationem viuorum, irrisionem vocauit, & Panegyricum sibi recitaturo silentium imposuit, ad laudes Marij tamen, vel Hannibalis, vel alterius Ducis vitâ functi decantandas vltro prouocauit. Ita cùm nos proprijs, id est, Boijcis abundemus, saltem ab vltimis repetita sæculis dici patiêre, etsi ne sic quidem cauere potuimus, quin vbique

plurima

plurima Seren.tis V.ræ resultaret imago; neque enim virtus cum ætate vultum mutat, nihilque bonis viris inter se similius est; Nam vt ora discrepent, eadem sunt animorum lineamenta.

Porrò inde initium capiemus vbi Seren.tis V.ræ virtus, & fortuna potissimum inclaruit: *Sigouesum* Boium ex ipso Boiohemo producturi, quando non sine diuinæ mentis consilio factum credimus, vt quod de Boiorum gente primum in litteras missum est, Boiohemum spectet: Nam quæ prima è Gallia Celtica duce Sigouesso Ambigati Regis sororis Filio Boiorum educta colonia est, suam in incinctis perpetuâ arborum Coronâ siluæ Herciniæ saltib. sedem locauit, qui ab incolarum nomine Boiohemi appellationem sortiti, eam quantumuis mutatis deinceps sæpius cultoribus in hæc vsq; tempora seruârunt; qua in re quis temere cecidisse existimet? quod à prima illa Boiorum in Boiohemum immigratione, vsque ad immortalem Ser.us V.ræ in eod: regno victoriam Pragensem totidem anni fluxêre, quot in auspicatissimo Ser.tis V.æ nomine litteræ continentur, quibus numeros signari vsus obtinuit.

MaXIMILIanVs boIarIæ eLeCtor.

Qui collecti in ordinem annos constituunt M.M.C.C.X.X. Nam Marcus Velserus accuratissimus

mus scriptor à Tarqinij Prisci æuo, quo illa à Boijs suscepta expeditio est, annos ad Christum DC. numerat, quibus si Christianos adijcias, consiunt totidem, quot è nomine Ser.tis V.æ eduximus, ne vno minus: Vt res ipsa Poëtam coëgerit primum Sigouesi *Trophæum boni ominis* inscribere, cuius statuæ si indicinæ faciendæ causâ hanc epigraphen adijcias.

IMago sIgoVesI ILLVstrIs BoIoheMI prInCIpIs.

Respondentem priori numerum elicies, quid nisi ex compacto concordantibus vtriusque Principis faustissimis Nominibus?

TROPHÆVM BONI OMINIS.

ALBE LEO, *regni decus, & tutela Bohemi,*
Cur meliore iuba, positis mansuetior iris,
Vngue nihil, nihil ore minans, duplicíq; flagello
Blandior, ad FVLVI *tam promtus iussa* LEONIS,
Laruati hærentem malè Regis fronte coronam,
Ad veteres Dominos, mutata mente remittis?
Olim Aquilæ fulmen solitus difflare, rebellis
Reginæ volucri, simul ac irrugijt aruis
Herculeus LEO *de* BOICIS, *& vertice moto*
Irarum armatis dedit ignea signa lacertis,
Tu facilis Dominis pedibus substernere collum,
Atque exarmatos vaginâ mitior vngues
Claudere, & exili fremitum mutare susurro,

C *Multa*

Multa, cicur, placidæ mentis documenta dedisti;
Non est de nihilo tam pulchra modestia; cogit
Vis tacita ad Boici aspectum trepidare Leonis.
Hoc nuper Dryades Diuas, Dryadúmq; sorores
Herciniȷ saltús (qui sparsim plana, iugísq;
Aspera complexus, nemorosâ fronde Boemos
Circum circa agros, atque extima rura coronat)
Cultrices, viridis siluestria Numina regni,
Cùm Boicus domitis erraret Victor in aruis,
Intima rimatas fatorum arcana coquebat.
Illis Panteadon, veterem, si stemma requiras
Pana professus Auum, cui tunc in rustica Tempe
Regnum sorte datum molli præcinctus oliua
Fatidicam vibrans Laurum folióque recliuis
Frondoso (memini) tumulo sic fatus ab alto;
Et BOIO *quisquam dubitet parere* LEONI
Saltibus in nostris? tam durâ bellua fronte
Erret in Herciniȷs huic pugnatura viretis?
Cuius vt indomitos spernat malè sana lacertos,
At certè æternas fatorum infringere leges,
Stultitia est: Fatis addicta Bohemia Boio est.
Nam quas aspicitis sedes, excultáque lentis
Iugera vomeribus, sunt prisci iugera Boiȷ.
Hæc incincta suis, & plusquam horrentia siluis
Manala, non vllâ vel vi penetranda, vel arte,
Celticus insignis dextrâ Sigouesus, & armis,
Ductor Boiugenûm primus tentauit, & omnem
Perfregit seu stirpe alta, seu monte minantem
Scabriciem: porróque audax vestigia firmans
Fortia, lata etiam, & denso prius abdita vallo
Aggeris arborei, passim victore retexit

Arua gradu, campósq́, vrbésq́, domúsq́, penatésq́
Aduerso pugnas nequicquam fuste cientes
Barbaricas, socio fortis Mauorte subegit.
Hinc culta Boijs sedes, qui frugibus auctum
Triptolemi totum Boico cognomine campum
Dignati, patriæ affectum, titulúmq́ dederunt.
Quas ego tunc memini felici sidere frondes
Hercinijs paßim vernare in montibus! ipsæ
Pœne mihi quercus, quin & tristes paliuri
Mella dabant, siculâ longè fæcundius Hyblâ;
Aurea tunc ætas: donec labentibus annis,
Fontibus in nostris tetrum Picarde venenum
Spargere, gramineúmq́ nociuâ tabe virorem
Eneruare Anser, fœdi dux agminis Husse,
Cœpistis; tunc vix corylos, humilésq́ myricas
Florenti vidi fruticare per aëra caule.
Cùm Boica de gente nihil, nisi nomen inane
Viueret, & mutilum; sed & hoc vix noscere ciues
Indolui, Boiósq́ meos, veterémq́ Colonum
Quæsiui gemitu; qui si mea regna subisset
Sperabam effœtas rursum efflorescere siluas.
Audijt, æternis magnum qui dirigit orbem
Auspicijs, PATER; *& iustas moderare querelas*
Panteidon, dixit, Boios hæc arua videbunt,
Et cernes, non has equidem sibi quærere sedes,
Felices proprijs, tamen hic victricia castra
Figere, & optatam terris inducere Pacem.
Cùm bis millenos bis centenósq́, recurrens,
Bísq́ decem, Boicæ ductos ab origine gentis,
Annuus in cælo Titan impleuerit orbes.
Dixerat: & mihi dicta fidem, spem præbuit ætas.

Et nisi dextra manus, nisi mens me laua fefellit,
Si misi in digitos sine fraude fideliter annos,
Si solitâ Sol flexit iter regione viarum,
Si noua non fregit priscum sententia fatum,
Promissi venêre dies & mollius æuum,
In patriam reduces Boij aduexêre Leones:
Hinc nostra exutâ mansuescit Bellua bile,
Et redit ad veteres, iam candida tota, colores,
Fucatos exosa dolos, & turpia pacta,
Cum grege vulpino malè conciliata, refringit,
Reginæq; suum reddit diadema volucri,
Compensare fide veteres iurata furores.
Sic hausta à Boico pia disciplina Leone
Correxit rabiem; iuuat aspexisse Magistrum,
Voce quati, validis iuuat occubuisse lacertis;
Et perijsse salus fuit, & Victoria, vinci.

BONVM factum! Praga non vnius Imp. Romani sede relicta ad æternam vrbem, ipsúmque Romani Imperij Caput gradum promouemus, tanto illustrius illic Boicæ gentis trophæum visuri, quanto illa vna vrbs reliquis omnibus Caput altiùs extulit, iura pœne toti orbi ausa dicere, quam tamen ipsam ante Christum natum CCC. XXXVIII. siue bis millenis vndenis ante nostra tempora annis Galli, qui à Belloresi (is Sigouesi nostri frater Germanus fuit) expeditione, eodem, quo Boiohemica, tempore suscepta, in Italia consederant, Brenno Duce captam, post septem

menses,

menſes, ad libellam expenſam, auróque æſtimatam deſeruêre: Gallorum in Italia fortiſſimi ſemper Boij, Inſubres, & Senones habiti. Captæ vrbis decus ad Boios pertinere alibi probabitur; Poëta qui trophæum exſcripſit, deſcripsítque in præſentia Silium Poëtam ſequi ſatis habuit, qui bello Punico medio Chrixum Boiorum ducem, Ataui Brenni ſtirpe ſuperbientem & penſantes aurum Celtas vmbone ferentem, hiſtoricâ, vti putamus, fide, quemadmodum pleraque omnia graphicè deſcripſit. Eſto igitur hoc alterum Boicæ gloriæ.

TROPHÆVM

A BRENNO REGE ÆTERNÆ FAMÆ ERECTVM.

Pernix præpetibus Fama volatibus,
Iam dudum ambiguis ebria fabulis,
Fortes Boiugenas Martia pectora,
Virgato niueum, & cæruleum ſago
Brennum, Romulidis terribilem, ſona;
Non illum trepidi mœnia Cluſij,
Non turbata rubris vorticibus vada,
Non totum moriens Roma ſinit mori.
Scis poſtquam Fabios immemores ſui,
Ruptóque indecores fœdere gentium,
Armauit ſuus in perniciem furor,

Et Caduciferos induit ensibus,
Vt Brennus Clypeum fulmineum rotans,
Et septemgeminis vltima collibus
Intentans, gladij vindicis impetum
Vix tandem innumerâ cæde refregerit;
Testis dira nigri nominis Allia,
Quæ tunc purpureo tardior alueo
Florem Romulei roboris obruit;
Nec Brenni erubuit vulnificam manum
Pincernam Ausonij dicere sanguinis:
Sed Brennus neque sic ebrius, integram
Ad Romana sitim mœnia detulit:
Illic Patritio sanguine Curiam
Depingens, Capitum messe senilium
Dispersit vacuis funera compitis.
Bustum Roma fuit, totáque montium
Depressa in cinerem gloria concidit.
Raræ inter lacrymas exanimes suas
Tarpeio resides relliquiæ iugo,
Damnauêre manus, vt patriam, & Iouem
Libellâ eximerent turpiter aurea;
Dum Boius Latijs insolitum auribus
VÆ VICTIS *misero concineret ioco.*
Hæc Vrbis Dominæ fata, modestiam
Inculcare suis docta nepotibus;
Vt nemo sceleri non metuat suo,
Captiui meminit qui Capitolij.
Quorsum ergo indomitus prosilijt furor?
Quid tentat populi Roma Bohemici?
An tutam Hercinijs se latebris putat?
Boiorum in patria peccat, & improbi

Vltri-

Vltricem sceleris non metuit manum?
An Brenni hoc melior probra ferat Nepos?
Sic spretas Aquilas? sic diademata?
Sic Pragam Dominis non regier suis?
Quin Hyblæa velut progenies domi
Fucum quando suas inter opes videt,
Detestata gulam colligit agmina;
Ignauumq; pecus murmure circumit;
Pars hastata suo pugnat aculeo;
Pars rapto pedibus puluere grandinat;
Pugnæ nulla quies; vulnere tardior
Donec raptor iners aut cadit, aut fugit.
Sic fucata cohors non sua bombilans
Inter regna, pigris turgida pinnulis,
Dum furto imperium quærit, & improbæ
Quidquid dulce gulæ est, iure suum putat.
Experta est Boica quid valeant manus:
Cœpêre vt creperis tympana buccinis,
Intermistæ sono clangere martio,
Et rostri intonuit bombus ahenei,
Index non fatui fulminis, & necis.
Quis fixos profugo tunc mihi tergore
Mucrones numeret? casáq; lucidus
Victorum gladio corpora collibus?
Quis disiecta solo brachia colligat?
Coniurant Boico flumina fulmini,
Et quos præterijt dextra, necant aquæ:
Nec iam Molda rubra cesserit Alliæ,
Fastis nacta aliud nomen in Vngaris.
Nil tunc ipse suis profuit arcibus,
Prisco Argo melior perfidia Vigil

Anser,



Anſer, multicrepo notus ab Huſſio:
Et, cùm Brennus ab hac proditus Alite,
Tarpeióſque lares, & fora Romuli,
Tot vexata malis, & propè ſubruta,
Non dextro fugiens ceſſerit omine:
Tu, Dux Magne, Tuis clarior auſibus,
Quidquid turrigero Praga cacumine
Ipſis inſeruit Dædala nubibus,
Accliuem pedibus flectere verticem
Vidiſti: dedit & regia nobilis
Deſertum ſolium, ſceptráque dexteris
Non tractata ſuis; addidit inſuper
Crus auctariolum; Regia qui rapit
Ornamenta, miſer perdit Equeſtria.
Tu Brenno hoc etiam iuſtior arbiter,
LIBRA IVSTITIÆ *ſingula ponderans,*
Illi iura etiam Martia ſubÿcis.
An ſe victam alio Praga velit Duce?
Cuius bella tribus pingere qui notis,
Æternóque paras ſcribere fornice,
Phœbi ex orbe duo detrahe ſidera,
Ambo ſpiciferæ proxima Virgini;
Hinc ſtet LIBRA *ſuis ignibus, hinc* LEO;
Nunquam Iuſtitiam perpetuè minùs
Dimittunt comites, Robur & Æquitas,
Quàm BOIVS *quoties bella mouet* LEO.

Roma-

ROMANÆ felicitati qui parem quærunt, ferè in Alexandri Magni fortunâ subsistunt, quem fata in diuersum à Romanis orbem emisisse eo potissimum consilio videntur, ne illis inter se bello collisis manifestum fieret, Roma an Alexander fortunam habuerit obsequentiorem, quod illa disputari à posteris quàm sciri maluit. A Liuio id disertissimè factum, apud quem Roma vbiq; triumphat, cui quidem palmam minore inuidiâ dedisset, nisi Brennus probâsset eam vinci posse; Certè constat, siue id casu, siue consilio factum, populum Romanum Alexandri neque arma, neque fœdera tentâsse: Galli tamen Adriatici maris accolæ (ij Senones Boij & Insubres fuêre) virium animíque confidentiâ, legatis ad maximum Orbis Regem missis, eum sibi amicum conciliârunt, quem tamen hostem adeò non formidarent, vt Regi quærenti, quid populus Gallorum metueret, id duntaxat responderint, *Ne cælum rueret*; factum id annis ante Christum Natum CCC. XX. plùs minusúe: quâ vnicâ voce nihilo obscurius *Magnanimitatis Trophæum* genti Boicæ sociisque foris erectum est, quàm antehac victrice manu domi statuerant. Alexander quidem ex hoc dicto æstimatos amicos, quàm hostes habere maluit. Videbat ita fortiter loquentes fortiùs pugnaturos, & ex dicti acumine gladium minimè hebetem coniecit. Autor Ptolomeus Lagi apud Strabonem.

TROPHÆVM MAGNANIMITATIS.

Notus ab Vngue Leo est, sed & vngues deme Leoni,
Ingenium incipiet prodere voce suum.
Hac dat iura suis etiam non visus in armis,
Absentémque timet Turba modesta Ducem.
Quódque Ioui tonitru est, rugitum hoc crede Leoni,
Hac mouet Ille Homines, hoc regit Iste feras.
Est etiam humanis vis & reuerentia dictis,
Et potes ex quauis voce probare virum.
Septem cauta Sophos numerauit Græcia; nomen
Forsitan hoc illis syllaba docta dedit.
Excidit hoc olim meditato, γνῶθι σεαυτόν,
Et Deus humano est creditus ore loqui.
Verba, Solon, Cræso dederas duo, RESPICE FINEM,
Ista tibi vitam verba dedêre duo.
Delphicus hæc templis dignatus Apollo probauit,
Quin & carminibus prætulit Ipse suis.
Si tria verba, Deo meruêrunt Iudice templum,
Pridem etiam Boijs ara dicanda fuit.
Quos nisi mille probent Mauortia Facta Leones,
Hoc illis Nomen Martia Dicta dabunt.
Vnica vox illos Pellæo heroica Regi
Fœdere perpetua iunxit amicitiæ.
Post tractam vario mensam sermone, rogârat,
Quid dignum Boius crederet esse metu?
Nempe ratus Macedûm dicturos robur, & iram,
Quæ plus ætherijs sint metuenda minis.
Sed responsa viros perhibent; dum dicta latentis
Conscia virtutis dant inopina sua.

Quod nostros terrere animos, Rex, posset; id vnum est,
Emotis, Cælum si ruat, axe polis.
Stent æterni Orbes, reliquum rotet Æolus Orbem,
Impauidum hæc feriet tota ruinâ caput.
Pectoréque obnixus nudo, si dempseris arma,
Ad quæ confugiat brachia, Boius habet.
Obstupuit, dextrámque dedit Pellæus, & Orbis
Contemptor, tamen hos credidit esse viros.
Quique Leonino se pectore censuit, huius
Non potuit Galli non tremuisse sono.
Applausum est voci magnâ ambitione, sibíque
Furtim illud plures asseruêre decus.
Sed stetit in Boicis vox nunquam erasa trophæis,
Nunc propria est animi, MAXMILIANE, *tui.*
Quid Boij metuant, & Bello, & Pace, probâsti,
Et multi hoc vellent Te docuisse minùs.
Hæresis innumerâ cùm se ceruice moueret,
Et mille errigeret cornua, Lerna minax.
Cùm Sceptro molita foret scelerata ruinam,
Ad quod quærebat Marte, dolóque, viam.
Bellua Tartareis ita pleraque miscuit ausis,
Vt propè nemo suo staret in officio.
Iámque velut parto mutâsset Iura triumpho,
Subruit insanâ Sacra, Profana, manu.
Et mox liberius debacchatura, parare
Insidias oculis cœperat, Arge, tuis.
Eruta sexcentis frustra quæ lumina uotis
Optarât, cæptis perniciosa suis.
Nimirum Imperij Tutor Leo Boius, vtrumque
Das inconniuas, lumen, in excubias.

Quem statione sua dum deturbare laborant,
Quot scimus mixtas fraudibus esse minas?
Cuncta tamen veterum sunt voce elusa Parentum,
Astra Leo Boius nil nisi lapsa timet.
Et timeat lapsura? comes cui militat æther
Auxiliatricem sponte professus opem?
Titanes metuant ausi rescindere cœlum,
Ne stultum inuoluant fragmina lapsa Caput.
His nuper Sidus luxit ferale Cometes,
Quotque comas, totidem sparsit ab ore minas.
Successura minis fuerant sua fulmina; quanquam
Victor (sensistis) Fulmina Boius habet.
Dum LEO *conspirat cum* Fulminis Alite, *tutam*
Impietas etiam se Cataphracta putet?

PAulò post Alexandri M. mortem, Gallicæ gentes complures, siue æmulatione Virtutis Macedonicæ, siue Genio suomet obsecuti, in Pannoniam, Illyricũ, Thraciam, Græciam, Macedoniam profecti maximas vbique res gesserunt, laboriosioribus chartis explicandas. Populorum, qui in hanc expeditionem nomina dederunt, plerique ignorantur; Trocmorum, Tectosagum, & Tolisto-Boiorum nomina hodieque supersunt: & vltimos quidem vel vernacula voce, Boiorum præstantissimos, vel vt Straboni placet, à Duce Tolisto sic dictos, Boios reuera fuisse, Velserus, aliique ostenderunt: Hos ipsos Iustinus l. 24. Ducibus Auibus domo profectos scripsit. *Trophæum ergo Bonis Auibus erectum*

carmen

carmen merebatur : quando & Serenissimo Principi cælestes Genios, quanto meliores Alites ? non minùs quàm S. Henrico, itidem Boiorum quondam Principi, & Imperatori, præsens, bellis nuperis, auxilium tulisse, imò visos sibi diuiniores milites, etiam hostium aliqui fassi sunt, omnes certè senserunt; calamitatibus suis testati, Serenissimum Religiosissimúmque Principem *Guilielmum* Regias impensas in Augustissimam D. *Michaëli* & cælesti Militiæ omni Sacram Ædem à fundamentis erectam optimè collocâsse : stipendium Angelis numerauit, ex illo die in suum, Filiorum, totiúsque posteritatis, & Boicæ vniuersæ subsidium auctoratis. quanquam cùm Filio Parentis nomine omnia deberent, tot tamen ab ipsomet Serenissimo Principe MAXIMILIANO pijssimi animi obsequijs culti sunt, vt difficilis illis satisfactio futura fuerit, nisi Principes essent maioris Regni : Nam quot priuatim illius preces Deo adnumerârint, recensere illi possunt, quos nulla pietatis Vnciola fallit : Publicè certè, bello durante, Ser.^mi P.^is iussu solenni Ecclesiæ Officio eorum honori dicato, quot hebdomadis culti sunt. & eo potissimũ auctore illorum veneratio longè latéq; propagata est, vt mirum non sit, si in hoc seculi nostri Ezechia pro Iustitia, & Pietate pugnante, vetera miracula diuinissimi Milites renouârunt.

TROPHÆVM BONIS AVIBVS.

Dardanus fato Patriæ superstes
Fertur Æneas, ducibus columbis,
Aureum dextrâ rapuisse, nullo
Vindice ramum.
Huius aspectu reserata frondis
Tartara, & custos auidos hiatus
Cerberus pressit, patuitque nigri
Ianua Ditis.
Gratior Boios Auium Caterua
Dux viæ, quondam tulit in potentes
Thraciæ campos; patuit secutis
Aurea messis.
Terruit Virtus Peregrina Græcos,
Vixq; tot scutô bicolore rhombos
Explicat, quot sub sua iura gentes
Boius adegit.
Sed duces nolo volucres ad antra
Tartari; tanti neque ramus auri est;
Heu nimis pandis foribus teruntur
Atria Ditis!
Martium felix nisi cantet oscen
Classicum, non me temerè volantis
Ala, nec raucum malè garrientis
Excitet omen.
Ille Romani moderator Orbis
Regius *signum nisi mittat* Ales,
Aureo si non priùs euolauit
Fulmen ab vngue.

Nemo

Nemo me Marti sociabit Augur,
Tunc bonâ bellum volucri geretur,
Quando Romanas Aquilas *sequentur*
Sponte Leones.
Hinc Tibi, Princeps, faciles triumphos
Attulit fausto bona sors volatu;
Aureis, victrix tua castra cinxit
Gloria pennis.
Venit & Cælo cataphractus Ales,
Ille, qui primo melior duello
Contumax hydræ caput egit imo
Victor Auerno.
Ille sub signis socias cohortes,
Agmen alatum meliore pinnâ
Duxit; æquales habuêre nulla
Castra volones.
O Deo charum Caput! & fauente
Semper in pugnas ruiture Cælo,
Sponte coniunctis, Tibi militauit,
Viribus Æther.
Hostis exauctas acies notauit,
Et manûs sensit grauioris ictum,
Nobili vt posset scelus interire
Nobile dextrâ.
Hoc datur magno pretium furori,
Colligit grandem titulum sepulchro,
Et iuuat tandem pietatis hostem
Fulmine tangi.
Vidimus nuper tumidas Olympo
Ire vastata regione flammas;
Vidimus sparso fluuios rebelles
Currere tabo.

Ausus

Ausus æternos violare fasces
Cæsaris Magni, Phaëthon paternæ
Immemor metæ, periturus ignes
Sparsit, & arsit.

O parùm tutis iugulate votis!
Heu nimis magno licitate regnum!
Purpura quantum tibi pro secunda
Sanguinis haustum est!

Muricis vilis cruor est; lacernæ
Iam suum debent Homini colorem:
Regulus *pulchrè vt rubeat, misella*
Patria pallet.

Vt coronatum Caput iret vnâ
Comptius paulo, grauiúsq; brumâ,
Heu quot infandis Capitum expiauit
Messibus æstas?

O malæ fraudes volucris secutæ!
Siue fallacis Veneris columbus,
Siue mirandus Pueris, ruentem
Pauo fefellit:

Quisquis in saltus facilem Bohemos,
Ad locum sceptri rapuit latentis,
Subdolo dextram tibi præpediuit
Regule *visco.*

Tessera ad nigros fuit illa Manes,
Iámq; quot fato meliore dignos,
Lethifer, Nauta dedit auehendos,
Ad Styga, ramus!

Interim dum tu sterilem coruscas,
Exul à regno, patriáque, frondem,
Alter è silua meliore mala
Aurea *legit;*

Quæ

Quæ tuâ quondam radiâsse dextrâ
Vidimus, donec puerilis ardor
Traxit ad Sceptrum, vetitóq; palmas
Induit auro.
Fabula antiqua taceat Tolosa,
Tristius Fatum venit à Bohemo,
Non suis quando manibus stat, auro;
Tange, peristi.
Nunc manu pomum cecidit, nouúsq;
Tantalus votis inhias relicto;
Frustra es, in dextra residet Milonis;
Nemo reuellet.
Ipse, quem pomi facies adumbrat,
Orbis, hoc gaudet recubare fulcro,
Tutiùs nullis manibus, nec vlli
Fidat Atlanti.
I, Duces, spretis Aquilis, minores
Augur obserua, leuibúsque pennis
Crede fortunæ, fugit inter omnes
Prima volucres.

ANNIS ante Christum natum CC. LXXIIX. Centum ipsis post Romam à Brenno captam, Brennus alter, itidem Gallus, templum Delphicum spoliare aggressus, sacrilegij ingentes pœnas dedit, per omnia humanæ Patientiæ exempla tractus: Ab eo scelere cùm Tolisto-Boij, Trocmi, Tectosages, secessione facta longiùs abessent, eum suæ Pietatis fructum tulerunt, vt Thraciâ primùm potiri, deinde cùm in Asiam

traiecissent, eam omnem, vsque ad Taurum montem vectigalem fecerint, regione etiam, quæ ad Sangarium & Halym fluuios sita est, de communi nomine Galatia dicta, amplum illic & diuturnum Imperium fundârunt. Erectum verò à Tolisto-Boijs *Pietatis trophæum* ad posteros in optima parte hæreditatis transmissum, & nuperis bellis à Serenissimo Boiorum Principe MAXIMILIANO amplissimè exornatum, hoc etiam veteri illi æquale habet, quod *aureo* Rom. Imperij *globo* insignibus addito, eiusdémque Curâ à Cæsare demandatâ, tantum Boijs in Europa gloriæ, & nominis conciliatum est, quantum in Asia sibi Tolisto-Boij peperêre; nisi quòd Principis nostri Pietas cum illa comparari se non patitur; Illis palmarium fuit Sacrilegio abstinuisse. Iste sæculi nostri Brennos complures iustis vltus armis, manum non Apollini, sed vero DEO commodauit, ob id tamen meritus, vt tota Apollinis Curia, & Parnassus omnis in illius laudibus occupetur.

TROPHÆVM PIETATIS.

Felices belli sortes, Pacisq; fauores,
Et tam crescentes, promoto limite, fundos
Boiorum, Dominisq; suis, & Iure beatam
Mirabar Gentem, viridi prostratus aprico
Herbarum, quà fertilibus fluit Isera campis.
Hic mecum ambiguis agitans certamina sensis,

Multa

Multa mihi respondebam, mihi multa negabam,
Scrutatus causas. Magnarum conscia rerum
Vranie, non Astrorum, motúsque viarum
Tantùm docta, sed & Diuûm, quæ mente repôsta
Fata manent, alto bibere, & depromere corde;
Constitit ante oculos, & Boios æmula rhombos,
Cæruleam vestem tessellis miscuit albis.
Ore serenato, Dea sum, cælestia narro
Insit, (ego totis collectus sensibus hausi
Verba Deæ, placidæ inter non mala murmura lymphæ.)
Hæc tam læta suis tellus, & florida glebis,
Tam dilatati fines, & collibus aucta
Vitiferis antiqua Ceres, & Bauara nuper
Isera diuinis Rheno coniuncta Hymenæis
Munera *sunt Superûm, castísque salaria curis*
Debita, sed priscis iam pridem debita Boijs;
Quæ pia posteritas, non degenerantibus aucta
Virtutum studijs, à Religione reposcit.
Nam quid te memorem Cælúmq, oblite, Deósq.
Brenne, sed vltores Cælúmque, experte, Deósque?
Forti ad bella manu, si non ad furta fuisset
Fortior illa manus; quando populatus Achiuos,
Graiugenásque metu terras, & littora complens,
Phocaásque domos, & tecta loquacia Phœbi,
Qualicunque Deo, & pro Numine, Nomine tuta,
Sanguine pinxisti, & scelerum successibus vsus,
Delphica *communi consulta Oracula voce*
Argiuûm, & Populorum, quà se maximus Orbis
Circumagit, tandem violento inuadere gressu
Ausus es, & Danaûm manibus Donaria fixa
Diripere, impositásque adytis auertere Gazas.

Non tantum voluêre nefas socia agmina, belli
Fœderibus pactis Brenni olim castra secuti
Tectosages, Trocmíque; sed hi vix nomine noti.
At primi fugêre scelus, Faníque rapinas
Exosi, Boica longè pars optima Gentis,
Tollisto-Boij, secum meliora probantes.
Traxerunt. Neu nulla putes data præmia facto,
Vinci terra pijs posthac nulla horruit armis,
Et dixit Dominos Orbis pars tertia Boios.

Cúmque Dijs meritò Brennus daret vltima passus
Funere supplicium, Boij maria omnia circum
Aruáque permensi æternos egêre triumphos,
Threijcios agros, angustíque æquora Ponti,
Iam deuicta supergressi Byzantia regna,
Ingentémque Asiam, quà Tauri limite clausa est,
Edomitam tenuêre ipsi, tenuêre nepotes.
An tanti est, afflictos etiam non lædere Diuos?

Ergo quid meruêre, quidô, Gens postera, BOII,
Cælicolis, quâ fas illis mortale dicari
Auxilium, deuoti animis, & vindice dextrâ,
Túq; vnus, tot seruatis, DVX MAXIME, *Diuûm*
Liminibus, veteríque sacris in sede locatis?
Nunquam interruptis Pietatis, Note, triumphis.
Horresco referens, quò se tua, Calue, libido
Extulerit, quando Cælo Terrísque minatus,
Hæc duo regna vnis conuellere nisus es armis,
Diriùs in superos rabiens! Altaria donis
Vidisses orbata suis, pendentia sacris
Parietibus simulacra Virûm, quos suspicit æther,
Rapta manu, ferro conuulsa, & calcibus icta:
Sacrorum tumulos Heroum inuertere sæuis

Non

Non veriti furijs, Spes regni, vrnásque, relictósque
Artus disiecere, rogis etiam ossa nefandis
Iniecta, & Cineres Cæli per inania missi:
Hoc doluit, non posse illuc pertingere telum,
Siue facem; nam quæ lacero spectacula Cælo
Sint potiora? quid ambustis formosius Astris?
Quid nostri possint maius sperare Gigantes?
Quàm Cælo, Terráque omnes proscribere Diuos,
Virtutumque pilos in vtroque eradere regno?
Regnet vt Impietas, cum Càluo sola marito.
Hócne ferat Cælum? vel si sua fulmina cælum
Differt, nónne Aquilis, Boijsque Leonibus arma
Induat, & superâ belli signum efferat arce?
Pacatósque animos melioribus imbuat iris?
Cùm iam fatali flagrarent omnia flammâ,
Et pallens cultro Pietas admota stetisset,
Amissura animam; cur non, cùm margine dulcis
Errat aqua, & vitreas lupus inquinat vnguibus vndas;
Surgat in arma Leo, & laticum defendat honores?
Quid sacrum Impietas habuit? quis limpidus vsquam
Fons Iuris, quem non infelix planta lutaret?
Heu! quæ candoris germani vena priores
Seruauit nullo confusa nigrore colores?
Quot thermæ passim calidi bullire cruoris
Visa, stigmatiæ gratissima balnea Caluo?
Et quàm multi enses iugulo Pietatis inerrant,
Scrutati fontes? mala bellua scalpurit vngue,
Tristis adhuc, quòd non lacrymæ vndiq; & vndiq; sanguis.
Et nisi restiteras furijs Leo Boie, fuisset.
Si Pietas anima est Patriæ, si Patria viuit
Huic Animam debes, huic debes Patria Vitam.

Et miraris adhuc Boica felicia Gentis
Iugera, tam longos hoc Principe ducere sulcos?
Hos titulos? sceptrúmque nouum? Capitísque decorem
Purpurei? quin nondum etiam largissima dextra est,
Quâ pluit in Boios Virtus sua præmia campos.
Accepti, atque Dati si conspirare tabellas
Fata velint, ipsum cogant descendere Cælum:
Et facerent; sed si hoc terris subducimus Astrum,
O quali depressa gemet Germania nocte.
Sic ait Vranie, & cælo se reddidit ales.

IVstitiâ Principes Deos fieri rectè apud Senec. Augustus censuit, quâ vnâ remotâ neq; regna aliud quàm magna latrocinia cordatè maior Augusto Augustinus dixit. Hinc Heroës antiquis Semidei dicti, quod forti manu illud Iustitiæ æternũ scitum *Suum cuique tribuendum*, contra Tyrannorum Impotentiam tuerentur. Eius decoris trophæa Boicæ genti propria colligere plura promtum fuit, nunc Ducarij Boij factum ad rem præsentem perplacuit, qui annis ante Christum natum CC.XV. eo bello, quod Annibal Boiorum potissimũ operâ Romanis formidabile gessit, C. Flaminium Cos. Rom. insigni galeâ Gargeno Boiorum Regi detractâ superbientem hastâ transfixit, vt non modò nobilis ad Trasumenum lacum victoriæ prima gloria Boijs debeatur, sed obtruncato Regiæ Coronæ inuasore insigne *Iustitia vindicata* trophæum sit erectum; quæ cum proxi-

proximis annis fœdè oppreſſa, iterum Coronam Regiam ad iniuſtum Dominum tranſlatam vidiſſet, ad Vindices ſuos Boios recurrit; eo euentu, vt eorum *Duci*, nouo *Ducario*, libertatem debeat, quam teſtatura nobiliore ſymbolo illi Pileum impoſuit, per quem ipſa Coronam receperat.

TROPHÆVM IVSTITIÆ VINDICATÆ.

Iam pridem poterat iocoſa Cornix
Stultis verſicolor, nitenſq; furtis,
Et collatitiâ venuſta prædâ,
Pruritum miſeræ rapacitatis
Ex toto volucrum fugare regno,
Cunctorúmq; Magiſtra nidulorum,
Pullos Iura Modeſtiæ docere;
Si tergi miſerabiles lacunas,
Et caluum in media caput iuuenta,
Pectus tonſile, depilata crura,
Et volſo glabriora ludione,
Turbæ oſtenderet arrogantiori,
Et ſimul crepera loquacitate,
Tonſtrinæ miſerabiles cachinnos,
Cauſſáſq; inſolitæ exarationis
Facundo caneret diſerta roſtro;
Tantas ingenuè profeſſa pœnas
Se tralatitiæ dediſſe pompæ;
Tanto ſyrma ſibi ſtetiſſe, fruſtra
Natiuo ſuperadditum colori,

Sed

Sed solis superadditum rapinis;
Cui cùm Pauo oculos, Alauda cristam,
Suum Psittacus immigrâsse torquem,
Suas cætera Turba margaritas
Insanùm stomachata subnotâsset,
Concurrentibus hinc & inde rostris,
Hoc se caluitij probro notatam:
Rapta supplicium proinde formæ
Noster Gymnosophista si recantet,
Mox rupto saperet modestiùs ouo
Pullus, nec niueo Parente natus
Tutum crederet explicare cristam;
Nec triseclisenex negare Phœnix
Vellet, se cineris fuisse prolem.
Cur ergo modò purpuratus ales,
(Quem vulgus, puto, Regulum *vocauit)*
Quamuis & Tyrio superbus ostro,
Inter Aurea mala *nidulatus*
Pulcher in patrio ambularet aruo,
Et solis Aquilis minor, quietus
Nicro Iura daret, darètque Rheno,
E myrtillifero petenda monte;
Coruis consiliantibus, vacantem
Ausus est Aquilæ *inuolare* nidum?
Non plumæ insidians vel huic, vel illi,
Sed frontis diadema non mouendum
Infido sibi vendicauit vngue?
O factum malè! furta pinnularum
Cornix defluuio comantis alæ,
Horti tubere leuior, piauit;
Hic raptâ sibi plaudit in Corona?

Musset

Musset hoc Aquilina turba probrum?
Et non omnibus exacuta rostris
Reginæ decus asserat volucri?
Cur, cùm Regulus efferatus ausu,
Spreto fulmine clarigationis,
Malum res repetentibus minari,
Collectâ sibi factione capit,
Non Boios Aquilæ vocent Leones?
Qui raptas dare Regibus Coronas
Fecerunt sibi proprium laborem.
Nec negat Trasumenus, Africano
Qui quondam erubuit lacus triumpho,
Illuc Flaminius potens iniquis
Boios legibus inuolare campos,
Romanum periturus egit agmen;
Et ne eos Boicæ deesset ira,
Gargeni galeam, iubásque Regis,
Toto vertice toruus explicauit;
Nouit signa Ducarius, suaq;
Irritatior ex pudore gentis,
Impotentior ex colore Regis,
Romano breue gaudium, suísq;
Æternum peperit manu triumphum;
Et insignia vindicata regni
Morte Consulis expiauit, & nec
Galerum Capiti, aut Caput Galero
Posthac censuit vltor inuidendum;
Et fixo monuit Duces trophæo,
Quisquis postposito pudore, raptâ
Tutus viuere vellet in Corona,
Occursare Leonibus *caueret,*

Et Boijs patriam mouere bilem:
Hinc cùm pelleret Æmulum Coronæ
Nidis Regius Ales *& Bohemis*,
Confisus Boici Leonis *armis*,
Et Regnum, & Capitis decus recepit.
Cornicis veterem subinde ludum
Fictus Regulus intulit theatro;
Assutas dolet interîsse plumas,
Natiuas gemit auolâsse pennas,
E coma diadema, crure gemmas,
Et pictam *ex humeris migrâsse* abollam:
Si cui nunc rubicundior videtur,
Non est hic Tyria rubor lacerna,
Sed mæsti color vltimus pudoris;
Nam qui tot gladios cruore tinxit,
Tandem vel fugitiuus erubescit.

VNICVS à Ducarij triumpho fluxerat annus, cùm mox iterum Italici Boij, militaris ingenij exemplo, ad omnem memoriam insigni, edito, L. Posthumium Albinum iam Consulem designatum, qui tum Prætor contra Boios exercitum ducebat, cum duabus legionibus Romanis, tantísque sociorum copijs, vt omnino XXV. armatorum millia sub signis haberet, funditus deleuerunt. Litanæ enim siluæ, quà Romanis transeundum erat, arbores ita inciderunt, vt immotæ starent, momento leui impulsæ occiderent: eas, cùm exercitus Romanus saltum intrâsset, in hostem Boij impulêre,

pulêre, & propagatâ, cum arborum ruinâ, miserabili strage, arma, viros, equos obtriuêre, vix decem elapsis. Rem Polybius Liu. Zonaras, Frontinus l. 1. c. 6. narrant. At enim vt erectum à priscis Boijs in Litana silua *Militaris solertiæ trophæum* Seri Nepotes nostro æuo renouarent, malo fato suo Perfidia siluam Bohemicam, etiam ipsam veterem Boiorum patriam subijt; vbi tamen non arborum, sed armorum vi oppressa est, delectúsque tumulo mons, qui *Candidum* se iam dici non vult, postquam cæsæ Impietatis sanguinem bibit, quæ illuc ex siluarum vmbra protracta est, non quòd diem mereretur, ad æternam properatura noctem; sed Victorum interfuit, vt heroica facta in publica luce constituerentur, & vt Bona caussa, quam Cæsar & Serenissimus Princeps Boiorum tuebantur, sole inspectante, triumpharet.

TROPHÆVM MILITARIS SOLERTIÆ.

Chaonij montes, Dodonæique recessus,
Quæ vestris spectata putem miracula siluis?
Vt cùm negligerent ea Fama tradere Musæ,
Ruperit iratas tandem indignatio quercus,
Mollisque in duros ierit facundia truncos,
Inuentúsque locus linguis in robore, nostris
Ausuro posthac impingere probra Poëtis;
Quid tanti fuit? vt natiuam perderet artem

Os hominum, & nullo cantaret silua magistro,
Et passim viridi starent tot vertice vates;
Soláque cùm faciles Laurus daret antè furores,
Istis ingenium faceret rigidissima quercus:
Si vel quæ saltu nuper visenda Bohemo,
Vel pridem Luco non inferiora Litano,
Ingenüs Gens Boia animi documenta reliquit,
Spectasses Dodona tua patrata sub vmbra,
Vndique vocales spuerent præconia frondes,
Et totam fieri velles te denique linguam:
Nunc quia sunt nostris potiora silentia siluis,
Nec quosuis arbusta iuuant, nos facta canemus.
Quà veteres riguis Boios Padus alluit vndis,
Silua Litana stetit, nullâ violata securi,
Intemerata Caput, nutrix annosa ferarum,
Brachia dispandens texendæ aptissima fraudi;
Hoc nemus occulta cinxêre indagine Boÿ,
Parte sui, subÿt densum pars altera Lucum;
Propter radices aggressa bipennibus ornos
Incídit medias, & vulnera cortice velans,
Distulit horrendos in idonea tempora lapsus.
Fleuerunt Satyri, montanáque Numina Fauni
Deseruere, oculis, tristes, lacrymantibus, antra,
Instabilésque lares: at Boÿs scrupea tectis
Præbuit interea tutas spelunca latebras,
Donec in insidias incautum duceret hostem
Semita castrensis, qui per compendia saltûs
Sperabat Boicam citus interuertere prædam.
Hostis erat Latiæ stipatus robore pubis
Posthumius, Consul modò designatus in Vrbe,
Speratos proprio picturus sanguine fasces.

Hic,

Hic, dubium an fisus numero contempserit hostem,
Suaserit errorem an præsens, & conscia virtus,
Non exploratæ succedere ferrea siluæ
Agmina, & ignoto iussit se credere calli;
Auctior útque foret, densato funere, præda,
In cladem placuit socias accersere gentes.
Iámque propinquabat, letho deuota, sepulchro
Turba suo, crepitum cùm robora secta dedêre,
Auspicium infelix, puduit tamen ire retrorsum.
Vix sese tenuêre viri, quos antra tegebant,
Quin immaturis vrgerent nisibus alnos,
Intempestiua ni Dux reuocâsset ab ausu.
Sic quando est Cerui vestigia nactus Hylactor,
Aut notos bibit aure sonos, vix ora Molossa
Verberibus cohibent, & lento fune Magistri,
Donec latratum, & cursum spes proxima laxet.
Siste gradum, Miles, viridi latet anguis in herba,
Te rapit ad mortem decumanis passibus error.
Ille tamen properans caueâ dum conditur; omni
Parte ruunt trunci, procera cacumina terræ
Acclinant vetulæ quercus, cadit ardua Fagus,
Iliceæq; trabes, Abies enodis, & Vlmi
Alliduntur humi, cælum intonat omne fragore;
Dat gemitum tellus, qualem Priameia tecta
Non dederant, flammâ cùm procubuêre penates.
Sic vna implicuit peditésque, equitésque ruina,
Piláque cum clypeis, & cum thoracibus enses,
Martia cum pictis perierunt tympana signis;
Bis quinis tantùm sors commiserata pepercit.
Quin ipsum abscisso multârunt vertice Boij
Posthumium, & caluam cerebróque & pelle carentem

Auro cælàrunt, vsúmque dedère trientis,
Ex illo Alcidæ vt libaret vina Sacerdos.
Sic stetit à Latijs facilis victoria Boijs,
Et miserum Virtus habuit Romana sepulchrum;
Quod tamen Impietas nostro ambitiosius æuo
Quæsitum, rursum Boiorum inuenit in aruis.
Scimus quos animos fanatica natio Calui
In saltus tulerit, ferro confisa, Bohemos,
Sola inconcesso spirans diademata voto;
Quale facit primis palmaris Pusio lustris,
Prætextâ curas nondum admittente seueras;
Ludicra quem Regem quoties Basilinda creauit,
Et quacunque Caput cinxit puerile coronâ,
Durateum pedes vrget equum, grandésque triumphos
Victor agit, patriæ subiens Capitolia caulæ.
Sed damus his veniam, tenerísque ignoscimus annis:
At quando similes barbata superbia ludos
In maiore dedit, caperatâ fronte, theatro,
Et sua cordatis fouit deliria curis,
Quódq; viri faciunt, Martem ructauit, & enses,
Hæc sunt Perfidiæ febrientis somnia, dixi,
Iam laruas videt, & regnum hoc ipsissima larua est,
Ad Manes properat, nisi me præludia fallunt;
Et quamuis patulis exultat collibus, ense
Nunc faciet, quondam quod fecerat arbore Boius:
Vt tamen hîc etiam Libitinæ seruiat arbor,
Ferales tumulis aduoluet silua cupressos.
Dixi; omen nunquam ventura coarguet ætas:
Vos modò, de duplici, quando datur optio, silua,
(Vtraque Boiorum est, concessæ hac conscia fraudis,
Ista manûs) Boico quercum exornate trophæo,

Aut

Aut si par tantis nulla est virtutibus arbor,
Hinc atque hinc cantet Boios resonabilis Echo,
Quando aliter quercus non est animare; Litana,
Carmine amœbæo, discat certare Bohema,
Sempérque alternos vox finiat vltima plausus,
Posthumius situs hic, hic Calui Posthuma Proles.

DAmus & Fæminæ inter Heroës locum, sed Heroidi, *forti*, & *pudicæ*, id est, vtriusque sexus virtutes, muliebri corpore, virili animo, complexæ. CHIOMARA est Regis Tolisto-Boiorũ Ortiagontis coniunx, quam Græcæ, Latinæq́; litteræ supra Lucretiam extulerunt, quòd eadem passa ferro meliùs vsa sit; & Polybius maximus scriptor gloriatur, se illud sui, imò omnis seculi decus Sardibus aspexisse, & collocutum esse. Triumphum illius CLXXXVIII. ante Christum natum annis in Asia inter grauissima duo damna Libertatis primùm, deinde etiam Pudicitiæ ductum, ex Liu. l. 38. Plut. Flor. Val. Max. Poëta fide historica descripsit. Porrò *Trophæum*, quod *Pudicitia* erexit, Militaribus Serenissimi Principis non insereremus, nisi Orbi constaret, eundem, dum Perfidiam, Rebellionem, & totũ Caluinisticæ Impietatis exercitum pijs persecutus est armis, gementem etiam Pudicitiam vindicâsse: Nam quas ea iniurias passa sit ab ijs, quibus nihil sanctum est, scimus; quos improbos sua secta facit; qui vt sine

pu-

pudore peccent, scelerum suorum caussas in DEVM referunt: Nam quid aliud est vitia incendere (verba Senecæ sunt) quàm auctores illis inscribere DEOS? & dare morbo, exemplo diuinitatis, excusatam licentiam? Cur non igitur velut Artemisia in trophæo, quod ipsa sibi erexit, Rhodiæ ciuitati stigma inussit, Regina nostra Caluino iam stigmatis, ob sua probra, assueto, ad vetera etiam hoc nouum adijciat, vt fœminarum ex Boica gente exemplis, virorum gladijs se sentiat confossum.

TROPHÆVM PVDICITIÆ.

Fæmina cantanda est, sed solo fæmina sexu,
Cætera vir, maiórq; viris CHIOMARA, *virili*
Quæ generosa manu, nec segni mascula mente
Naturæ errorem, & fortunæ probra refellit:
Illa quòd indigno clausisset corpore mentem,
Ista quòd immerito clausisset carcere corpus;
Nam facilem veniam cùm clades prima mereri
Posset, multiplici bene compensata fauore,
Cùm sceptrum manibus, fronti diadema, sed ori
Diuinum decus arridens fortuna dedisset,
Euertit, solito, dotes temeraria, ludo.
Nam sceptrum excussit manibus, capitíque coronam
Dempsit, & in ferrum immeritam detrusit ab auro;
Et formam cùm tam misera corrumpere sorte
Non posset, quando Reginam & vincla decebant,
Quoq; minus compta est, tanto formosior ibat,

Accen-

Accendit turpes, vt mentem amburerêt, ignes;
Cùmque minor formæ sit, quàm iactura pudoris,
Matronale decus labe infuscare parauit.
Centurio, cui captiuæ custodia formæ
Tradita, commisso malè munere functus, ab ipso,
Quem iussus fuerat seruare colore, calores
Traxit, & insano cessit magè captus amori,
Quàm CHIOMÁRA *suis erat illaqueata catenis.*
Ergo ausus tentare animum est, cùm vincula voti
Spem facerent; quasi nil captiua negare, suísque
Mancupio tradi dominis mens libera posset.
Horruit illa scelus; primum hæc iniuria vocis
Expressit gemitum, vultúsque ad vincula constans
Palluit, & captam sese tunc denique sensit.
Hoc magis instat amans precibus, pretióque, minísque,
Nil effecturus precibus, pretióque minísque:
Sed cùm omnes caderent artes, est viribus vsus
Fortior his tantùm; sic captam, & fæminam, & vnam
Vi superat, frustra clamato sæpe marito,
Sæpe Dijs, scelerum sæpe ipsâ vindice Româ.
At voto tu plaude tuo, spolia ampla tulisti
Victor, & ingentis pretium laudabile facti;
Non impune; etiam sic victis arma supersunt
In iugulo lusura tuo, dabis improbe pænas,
Quódque tulit CHIOMARA*, lues scelus; vlta cruorem*
Hauriet, atque tuo delebit sanguine labem:
Fata dedêre diem; nam crimine notus ab vno
Noluit esse procus; cuius tulit antè pudorem,
Iam sitiebat opes; libertatémque daturus
Exposcit magnum, Caput in regale, Talentum:
Heu, daret ipsum etiam, dare si queat integra, regnum!

Hac omnis raptâ miserabilis auctio gemmâ est:
Sed pepigit, quando redimendi gloria probri
Non reuocanda obijt, voto fuit vsa secundo,
Qualiscunque suo reddi gauisa marito.
Nocte intempesta pretium sectoris iniqui
Ad iussas portatur aquas; blanditur auaris
Regia gaza oculis, sceleri non debita merces,
Dum digitis metitur opes: dum ventilat aurum,
Atque obiter refugo rapit vltima basia labro,
Stringi Boia pium iussit Lucretia ferrum,
Et duplex vltura nefas in sanguine sontis,
Pendentem à collo, Boico iubet ense feriri.
Tunc veniam amplexus meruit, tantîque putauit,
Vel sic; vindictam rapto petijsse pudori;
Ille ruit, tinctúsque tuo, CHIOMARA, *colore est,*
Atque suo sceleri nunc tandem impalluit; ense
Cùm cecidit ceruix, venísque pluentibus vndas
Tinxit, & in pictis mersa est sitis vtraque lymphis.
Sic scelus vlta, suâ caput à ceruice reuulsum
Sustulit ipsa manu; tunc tangi & tangere iuuit;
Optatúmque proco ridentis sumere vultum,
Pascere vtrumque oculum, totámque expôrgere frontem,
Et velare sinu; tunc demum blandior, illum
Dulce vocauit onus, nec dedignata cruorem est,
Imò velut spolio *victor ditatus* opimo
Gestit ouans, properátque Iouis suspendere trunco,
Sic veteri, & demum iam soli dona marito
Digna parat, charísque caput substernere plantis,
Vt tandem ad castas genialis fœderis aras
Excussit prædam, meus an tuus hoc tibi prædo
Supplicium exoluit? dixit; duo lumina cernis

Queis

Queis placui, sed non volui placuisse; peregit
Officium manus ista tuum, fortésque lacertos
Fecit amor; dedit arma dolor; ne viuat, iniquè
Qui tibi præreptos CHIOMARÆ *iactet amores.*
ORTIAGON, *dextrámque probans, vocémq; receptæ*
Coniugis, & spolio damnum solatus amoris,
Rubrum, sicut erat, madidúmque à sanguine ferrum
Sustulit, atque pio pulsauit sidera voto.
Si qua Pudicitiæ Superis est cura, thoríque,
Vos cælorum oculi, iura inuiolata fouetis,
Hunc animum, has Boijs æternas indite curas,
Nulla libido suis vt gaudeat improba furtis,
Illis vindicibus, sit nostræ hæc gloria gentis,
Vlcisci Parides, Venerísque euertere regnum:
Et pius hic nostris insignibus additus ensis,
Admoneat seros, si vouiiusta, Nepotes,
Cùm scelere opprimitur Pietas, & caussa laborat
Æquior, hîc nôrint sumi non turpiter arma;
Sola quæsitus placet ex Virtute triumphus;
Fæmina præcessit, pulchri dux fæmina facti;
Ardua si fugiunt Patrum vestigia Nati,
Turpe est fæmineos nolle exæquare triumphos.

TOlisto-Boiorum cæterorúmque Gallorum, cùm Asiam omnem velut examine aliquo, vt Iustinus loquitur, implêssent, cum viribus virtus adeò succreuit, vt velut communes Regum, Populorúmque Patroni, & publici æquitatis iurísque vindices ingenti per totum Orientem nomine essent: hoc enim ex Trogo illustre pro ipsis Iustinus testimonium exscripsit l. 45.

Neque Reges Orientis ſine mercenario Gallorum exercitu vlla bella geſſiſſe, neque pulſos regno ad alios quàm ad Gallos confugiſſe: tantúmque terrorem eius nominis & armorum inuictam felicitatem fuiſſe, vt aliter neque Maieſtatem ſuam tutam, neque amiſſam recuperare ſe poſſe ſine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium à Bithyniæ Rege, (is Nicomedes fuit) inuocatos regnum cum eo partâ victoriâ diuiſiſſe: rem fuſiùs Liu. l. 38. perſequitur: ſed quia id Toliſto-Boijs cum ſocijs commune eſt, eo præterito, *Trophæum*, quod ſoli ipſi *Æquitati defenſæ* erexerunt, Poëta deſcripſit, cùm fideliſſimam operam Zeilæ, qui huius Nicomedis filius fuit, ad paternum recuperandum regnum præſtitiſſent. Nam cùm is Nouercæ odijs ſpe ſucceſſionis depulſus, in clientelam ſe Toliſto-Boiorum dediſſet, ij contra tres Reges, totidémque populos Zeilæ ius eò vſque armis tutati ſunt, donec hoſtium tam potentium pertinaciam ad æquas Pacis conditiones inflexerunt. Res vti geſta eſt, cùm ex aliorum libris excidiſſet, à Memnone deſcripta in Phoc. bibliotheca ad poſteritatis memoriam ſeruata eſt; tempus proditum non eſt; verùm cum ante Chriſtum natum CC. LXXVII. in Aſiam à Nicomede Toliſto-Boij euocati ſint, non multò poſt id factum oportuit: eſtq; illuſtre documentum, quàm generosè Maiorum ſuorum veſtigia Sereniſſi-

nissimus Boiorum Princeps presserit, dum, vt idem *Æquitatis defensæ trophæum* renouaret, tot Principum, Populorúmque armis inconcussum pectus, & virtute suâ inuolutum obiecit, eo successu, qui (quod veræ argumentum gloriæ est) malis lacrymas, Bonis omnibus plausum dedit.

TROPHÆVM ÆQVITATIS DEFENSÆ.

Aurea cùm BOICIS *nuper foret addita* RHOMBIS
Sphæra, nec abnueret tessella quadrata rotundo
Excuneata globo, prisco decedere regno
Quærebam ad veteres quantumuis aurea rhombos
An facerent, posséntq; locum bene poma tueri:
Virtus quadratis, *dixi*, *Fortuna* rotundis
Gaudet; quorsum ergo medio Virtutis in aruo
Fixerunt stabilem Fortunæ symbola sedem?
Et Romana Ioui cùm cedere quadra negârit,
Restiterísque tuo nil motus, Termine, saxo,
Hásne Dea quadras decuit cessisse minori?
Si pretium formæ sunt aurea mala, Deásque,
Hoc Eris illicio miseranda ad iurgia trusit,
Heroës formæ donamus vindice pomo?
Quos puluis sudórque decent, sine lege volantes,
Horrentésque comæ, sulcantia vulnera malas,
Et meliore notâ descripti in fronte triumphi:
Hæc mihi mussanti placido spectabilis ore
Diua Themis, Pœni *portans duo fragmina* mali
Adstitit, & nostro, quod cernis, carpsimus horto,

 Dixit,

Dixit, non Eridis natum in ludibria, non hoc
Idaus Veneri pastor dabit; ista natantum
In liquidis felix acinorum natio cellis,
Ebria mellifluo granaria sanguine, magni
Symbola sunt animi, nostrísque Heroibus apta,
Quos dudum æterno strinxit Concordia nexu,
Labenti dextram patriæ, Iurique daturos,
Empturósque suo rediuiuam sanguine Pacem:
Quos inter Boico prognatus sanguine Princeps
Immensum pomi *tam* nobilis *incrementum,*
Cùm mihi tot pareret non vno ex hoste triumphos.
O quoties cælum votis, Diuósque coëgi!
Tot similes mihi terra viros, aut Astra daretis,
Purpureos pomi quot concameratio fratres
Stipat, & aureolis latitantes manibus ambit.
Ille quidem Boicæ succenditur indole gentis
Et veteri obsequitur genio; non vnius æui
Est virtus, nec Auo tantùm se iactat ab vno;
Ingens hæc priscis annalibus addita cura,
Boiorum toto Famam diffundere mundo;
Hunc patriam dixêre suam, nam limite regni
Vnius arctatos credebant carcere claudi;
Sed quemcunque illos vis ignea misit in orbem,
Iura receperunt animam; velut abdita siluis
Sustulit Alcides, vel dente infesta, vel vngue,
Sic illi medias reptantia monstra per vrbes,
Palliolata dolis, & dissimulantia virus,
Robore tuta suo, vel Regibus vsa patronis,
Herculeâ domuêre manu; de mille trophæis
Hoc ipsâ mihi fixum Asiâ meminisse iuuabit.

Respi-

Respicit Acrocomas vbi terra Bithynica Thraces,
Spes regni patria Zeilas crescebat in aula,
Nec sceptro indecoris, nec auitis sedibus impar,
Iniustæ si non odium fatale Nouercæ,
Priuiginis odium heu meritis placabile nullis!
Vota retardâsset iam vicinissima regno.
Ille quidem vt Patrem vultu, sic arte regendi
Exscripsit, teneros superans virtutibus annos:
Nam, seu bella forent infesto Marte cienda,
Nemo illo melior iaculum torquere lacerto,
Corporis aut flexu effusas exire sarissas,
Et galeâ, clypeóque, & formidabilis ore:
Aurea si fluerent optatæ tempora Pacis,
Deditus arcanis damnauerat otia curis,
Nonnunquam solio residens sublimis auito,
Imperiosa dabat populis responsa seuerus,
Insuescens regni versare volubile pondus:
Sed spes priuatas, & publica vota, piásque
Naturæ leges, & Iura perennia regni,
Fœmina, triste malum, furijs armata refregit.
Namque venenatis instillans toxica verbis,
Fraudibus induxit facilem noua Phædra maritum,
Vt regno eiectum, patriáque facessere iussum
Exigeret Genitor quondam sua gaudia natum.
Ille vbi Bebrycij resciuit iussa Tyranni,
(Nam patris affectum rapuit, noménque Nouerca)
Conscia necquidquam testatus sidera fugit,
Perreptans non vnius prætoria regis;
Sed miseri passim reiecta est caussa clientis,
Nam rarò lacero videas pro Iure patronos,
Qui fulcire velint aliena damna ruinæ.

Gens

Gens erat vna super, Phrygiæ contermina regno,
Boiorum quondam deducta colonia terris;
Gens armis, opibúsque potens, iurata labanti
Iustitiæ dextras, animámque impendere Vero.
Hic arma, & fortes exul lacrimabilis ausus
Repperit, & sortis spes est reserata secundæ.
Exciuit totam iuris violatio gentem;
Quanquam non solo iam loricata furore
Fax belli aduersâ metuenda in parte volaret;
Sed tres sub signis populos, totidémque fauentes
Caussa nouercalis trusisset in arma Tyrannos;
Et tamen Exul inops, & solo fortior æquo
Vnius populi defensus vindice ferro est.
Quin cum non stabili nutaret lubrica passu
His modo, nunc illis sors aduersaria castris,
Boia tamen Virtus cum contra audentior iret,
Hostiles animos infregit, & arbitra pacis
Mutua coniunctis sanciuit fœdera dextris.
Nunc age, quà priscis Boiorum heroibus impar
Hic virtute fuit, cuius sub tecta, laresque
Omnis Boiorum cum sanguine gloria fluxit?
Curre per hostiles acies, inimicáque signa,
Et coniuratas non vnâ ex gente sarissas,
Purpureósque duces, & nomina magna tribunos
Emetire oculis, nil parti defuit illi,
Præter Iustitiam, sed erant pro iure furores;
Si solas numeras vires, mala causa triumphat.
Sensit, & hinc nostro fiducia creuit Achilli,
Quòd solo impietas tegeretur perfida ferro,
Cæteráque ad vulnus miserè nudata pateret,
Explicat ergo acies, & primâ in fronte locauit

Ante

Ante Aquilas, & signa Deum, iurisque petitum
Arce Satellitium; quid narrem cetera? vicit,
Et vincet, *quoties istis pugnauerit armis.*
Hic ego cur nostri signa Augustalia pomi,
Vel meliore manu, sceptróque locanda putarem?
Inserui decus æternum: Fortissimus *istud,*
Quidquid erit, (pomum *interea dicemus*), *habebit;*
Sed meus hunc orbem *pridem cognominat Atlas;*
Quidquid erit, feret, ornabit virtutéque partum
Implebit patrijs tandem virtutibus orbem.

CVM annis propè quingentis à prima immigratione Boij Boiohemum tenuissent, & quod à Romanis, Græcísque litteris longiùs abessent, quidquid tanto temporum interuallo ab ijs eo in loco gloriosè gestum est, vmbris Herciniæ siluæ sepultum esset, tandē annis ante Christum natum centum & decem circiter, ingens & ad omnem posteritatem nobilis victoria Posidonium testem, & præconem inuenit. *Apud Strabonem lib. 7.* Cimbros enim, toti pœne orbi terrarum exitiabilem gentem, littore Oceani Germanici effusos, & more fulminis per Galliam, Hispanias, & vicinos Istro populos, grassantes, cùm propè nusquam parem hostem reperissent, & tot terras alienis cladibus, & suis triumphis nobilitâssent, tandem etiam in Boiohemum delatos Boij animosissimè reiecerunt: quæ Victoria tantò maior videri debet, quò maiores etiam

ſic victi clades Rom. populo, qui fortior, quàm eo tempore, nunquam fuit, intulêre, aliquot Conſularibus exercitibus deletis, & iam Romæ non vanè minantes; cùm ipſis Romanis Scriptoribus atteſtantibus conſtet, actum de re tota Romana fuiſſe, niſi Marius illi ſæculo contigiſſet, qui tandem formidabilem gentem bello vicit, ſed ante iam à Bois victam; & tamen illa ipſa Marij Victoria tantum Romanæ rei momentum adieciſſe viſa eſt, vt tum demum eius populi Maieſtas aſſurgere viſa ſit, explicatúmque in eam rem oſtentum illud fuerit, Cùm Nuceriæ vlmus, in luco Iunonis, à culmine ſuccisa, ſponte recreſcens priſtinum decus recepit. Porrò erectum BOICÆ FORTITVDINIS in Boiohemo *trophæum*, cum nupero Sereniſ.^mi^ Boiorum Principis, locus ipſe, hoſtiúmque non vna re ſimilitudo comparant; ipſi quidẽ faſſuri nunquam ſunt, Cimbris ſe non fuiſſe fortiores: hodiernam verò Romam, quam Cimbri veterem, multò odêre acerbiùs; neque tamen ambitiosa illa voce vtar, quam Romani Scriptores vſurpârunt, actum de imperio fuiſſe, niſi ſæculo noſtro MAXIMILIANVS obtigiſſet; illud tamen, quod de eodem illo Duce moderatiùs Saluſtius dixit, repetijſſe me nunquam pœnitebit; *Eâ tempeſtate ſpes atque opes Reipublicæ, in* MAXIMILIANO, *fuiſſe ſitas.*

TRO-

TROPHÆVM FORTITVDINIS.

Iam pridem impietas *inferna filia noctis*
Filia matre suâ nigrior, iurata parabat
Totum Candoris Germani *euertere regnum*
Fraudibus, & veterem patria infuscare nitorem:
Passim vbi lacteolis vernabant lilia labris,
Nutrita antiquæ *succo* pietatis, *& albam*
Caniciem patrum *referentia, protinus atris*
Commaculata notis, pede, vel carbone notabat.
Quot niueos animos, bipatentia pectora, nunquam
Lucidiora tuis faceres quæ Mome, fenestris,
Conduplicata dolis, non vna vulpe refersit?
De niue *passa nihil, præter mala frigora, tristi*
Stricta gelu, & calidum non admittentia solem;
Sic vetus amisit Germania nomen, & inter
Funera Candoris *nigricanti squalida veste,*
Quantum perdiderit pullo *testata* colore *est:*
Candebat tamen Austriacæ *pars maxima* parmæ,
Et melior, secto bene certatura Elephanto;
Albebant etiam Boici *niue Virgine* Rhombi,
Et cœli æquabant vultum, cum nocte serena,
Cœruleum trames discernit lacteus orbem;
Cúmque Leo geminum Nemeæo fortior aruum
Occupet, & Boicus *numeret tot sidera* sanguis,
Vix ausis scutum, sed mâlis dicere cœlum:
His Germana Fides *clypeis defensa duobus,*
Relliquias veteris tuita est, cum laude, nitoris,
Quantumuis oculo Impietas *id ferret iniquo;*
Hinc nuper tota cùm suppellectile noctis,
Vmbrarúmque choro, stipantibus agmina laruis,

Et si qua Eumenidum furuo fuit horrida vultu,
Hercinios saltus atris intexuit alis,
Austriacis, Boiisque *minans nigra omnia terris,*
Iámque alius noctem ducebat Lucifer, ille
Qui pleno quondam traxit tot sidera cælo,
Et simul horrendo diffusus crine Cometes
Inseruit stellis piceum malus assecla vultum.
Ergo inter dubia lucis confinia, tristem
Cimmeriámque dolens timuit Germania noctem:
Sed quæ Cimbrorum furias & tela Bohemis
Reppulit à siluis Gens felicissima, Boij,
Nunc quoque Cimmeriam proscripsit candida noctem,
Et victrix terris solémque, diémque reduxit,
Sed iuuat antiquas hodiernis addere palmas,
Cimmerias, Cimbrásque vno cantare triumpho.
Proximus Oceano quondam fuit accola Cimber,
At paruum Neptune dabas contermine nidum;
Quippe fatigatas congestâ sæpe procellâ
Subrueras sedes, auidísque reciprocus vndis
Imbiberas sterilis mox succedanea ripæ
Fragmina; sic misero decreuit patria Cimbro;
Intoleranda viris iniuria Fortibus; at quis
Neptuno ponat leges, aut inferat arma?
Hoc vnum superest, veteres migrate coloni.
Mars placuit; patriam rigido producere ferro
Omnibus vnus amor: rapientibus arma, ságúmque
Æqua nimis Fortuna fuit, dum terruit hostes,
Dum bello cessere acies, & Gallia quidquid,
Et quidquid rapidum tenuit Scordiscus ad Istrum,
Vel quod in Ausonia, magnóque refulsit Ibero,
Genti præda fuit; dominámque exercuit Vrbem,

Roma-

Romanásque Aquilas non vna clade fugauit,
Vnica quæ saltu sedit Gens Boia Bohemo,
Commune excepit terrarum interrita fulmen,
Indomitósque suo gladios vmbone refregit,
Et congressa acie est, & vinci posse probauit,
Et dedit ex Cimbris Mario spem prima triumphi.
At cùm figendo quercus iam cana trophæo
Delibrata comas, & brachia perderet, atque
Cimbrorum clypeos non vno vulnere fossos,
Fulmineósque enses, dextra maiore rotandos
Acciperet, seris spolium mirabile Boijs;
Fertur Hamadryadum sic vna locuta sororum,
Currite fatales horis properantibus anni;
Maior adhuc Boijs sæclorum nascitur ordo.
Est aliquid Cimbros patria pepulisse, nec vnquam
Nostri gustârunt maiora cadauera corui,
Sed cùm olim impietas Boicâ confossa sarissâ
Ore istam mordebit humum, nec candidus *ille*
Sufficiet Mons *in tumulum, tum denique nostris*
Gloria decrescet, suáque admiratio Cimbris:
Cimmeriúmque canet non tristis Nænia funus;
Hæc erit ad faciles communis fabula mensas,
Concessísque iocis quondam piper, atque salillum,
Et ludus ludis, olim cantante puello,
Dicite Io, terris candorem *filia noctis*
Inuidit, fuit hæc quærendi causa triumphi,
Et reperit: nam mons *vbi vitam in sanguine fudit,*
Candidulus *quondam iam nomen perdidit, & se*
Ore cruentato mauult iam dicere rubrum,
Quíque duos tantùm Victor tulit antè colores,
Purpureo fulget longè formosior ostro.

Mutauère locum miracula; prima caninis
Dentibus, in Tyriam producta est purpura ripam,
Impietas *hodie monstrum cane peius & angue,*
Dum Germana nigro vult tingere pectora fuco,
In conatu operis saltu iugulata Bohemo,
Nigro *nil potuit*, minio *tamen omnia tinxit*;
Sepia *successu caruit*, *sed* purpura *fluxit.*

EX vltimis Tolisto-Boiorum Regibus Deiotarus fuit, maximus vir & alibi cum cura dicendus; virtutibus tum alijs, tum insigni, & perpetua erga Romanos Fide clarus; cuius ea bello Mithridatico potissimùm documenta dedit, vt ab Imperatoribus pleríque, per quos illud gestum est, in Senatu magnificè sit laudatus; Pompeij certè hæc de illo, Cicerone referente, vox fuit, *vnum Deiotarum in orbe terrarum ex animo amicum veréque beneuolum, vnum fidelem populo Romano fuisse.* Proinde confecto Mithridatico bello, haud immerito amplissimis honoribus, & accessione Prouinciarum auctus, & à Senatu Rex appellatus est: in parte felicitatis etiam illud ponendum, quod cum M. Catone & M. T. Cicerone, quorum alter Romuli Nepotum optimus, alter disertissimus fuit, intima ei familiaritas intercesserit; Ciceroni etiam cùm Ciliciam proconsul obtineret, magno in bellis vsui fuit, nobili tandem ab eo oratione, cùm fictis criminibus peteretur, defensus: bello deinde Pharsalico, quod annis ante Christum natum XLVI.

inter

inter Pompeium & Cæsarem orbi Romano funestum exarsit, meliores partes, infeliciores tamen constantissimè secutus est, vt non immeritò à Lucano *Regum fidissimus* pulcherrimo nomine sit appellatus. Cuius illum fidei adeò non pœnituit, vt cùm auspicatò omnia faceret, dicere solitus sit, auspiciorum, quæ sibi ad Pompeium proficiscenti facta sint, non posse se pœnitere: Senatus enim auctoritatem, & populi Rom. libertatem, atque dignitatem Imperij suis armis esse defensam; sibique eas aues, quibus auctoribus officium & fidem secutus esset, bene consuluisse; antiquiorem enim sibi fuisse laudem, & gloriam, quàm regnum & possessiones suas; quas voces illius, Rege planè dignas, Cicero mirificè deprædicauit; *cúmque non auium, sed virtutis auspicio vsum ait, quæ vetat sperare fortunam, dum præstetur fides*; Quę planè nobilis in *trophæum fidei* à Deiotaro erectum ex ore Ciceronis dictata Epigraphe fuit; neque nos illam mutabimus, sed totidem verbis *Trophæo* eidem *Fidei* à Serenissimo Principe Boiorum instaurato inscribemus. Neque verò Romanus Imperator dubitauit, eandem in illum laudem conferre, quam Pompeius in Deiotarum congessit, eúmque, qui regnum, complurésque Prouincias animo, sumptúque regio iustis vindicasset armis, inter septem Rom. Imp. purpuratos Regibus proximum esse voluit.

TRO-

TROPHÆVM FIDEI.

Si totis nihil eſt triſte palatijs,
Si depicta beat purpura Principes,
Cur madidum caput in corona eſt?
Cur curæ in ſolio ſedent?
Cùm Mali inſpiceret fragmina Punici,
Cur ſorti indoluit Perſa potens ſuæ?
Eſſe minus ſibi Zopyrorum,
Quàm pomis acini latent.
Nimirum innumeras qui numerant opes,
Raram has inter opes inueniunt FIDEM;
Hunc gemitum nequeunt coronæ
Magnis demere regibus.
Hoc commune tribu cum medioxima
Votum Purpuræ habent; ô mihi ſi Deus
Perfidiâ nihil inquinatis
Donet viuere ſolibus!
Ne Fortuna Fidem mutet, vt improbus
Qui ridente Dea riſerat aſſecla,
Cùm rigidam trahet illa rugam,
Alato fugiat pede.
Non me, ſed mea vult, qui pretio eſt bonus,
Tantùm ad mella comes, transfuga triſtium;
Hunc volo, qui miſeræ ruinæ
Fulcrum ſubijciat manus.
Talem Roma canit Deiotari Fidem,
Quem Cneo pietas causáque iuſtior,
Quando bonis auibus *ligauit,*
Strinxit perpete vinculo.

Non

Non patri soboles vlla sequaciùs
Hæret, nec columen vitis ad vlmeum
Ambitiosiùs applicatur,
Tot se capreolis ligans.
Magnus Threïcias si peteret plagas,
Quà Strymon rapido flumine voluitur,
Squamigero agmine gloriosus,
Et ferri cupidà grue:
Si rus Pieriæ nobile Phocidis,
Lustrarétque iugi Cirrham Heliconij,
Quà pede Pegasus excitauit
Doctum vberrimus alueum:
Vel si barbaricos tenderet ad Getas,
Communem caperet Deiotarus larem,
Sub gelido Ioue dormientis
Somnos excubijs tegens.
Non cùm turgidulo fors facilis sinu
Pompeio titulos adijciens suo,
Laureolas triplicem per orbem
Vnum quæreret in caput.
Nam quis tunc renuat iungere tesseram,
Fortuna aureolis cum vehitur rotis?
Et Charitum comitata trigâ
Felici aduolat omine:
At quando tetrico nubila vertice
Vertit vela bonis plena Fauonijs,
Tunc sociâ rate nauigare,
Quàm rara, ô superi, est auis!
Ergo quæ volucres Deiotarum trahunt
Pompeio comitem rebus in asperis?
Omnia qui facit auspicatò,
Notis fallitur artibus?

I Cam-

Campi Pharſalici ſanguine iam rubent;
Iam plebis Lacheſis funera nauſeat,
Et nitidis inhians coronis
Meſſem purpuream parat.
Pompeius trepidat, diffugiunt duces,
Solus non meminit Deiotarus fugæ;
Iam vetulus morienſq. cygnus
Martis fortior eſt lupis.
Sic dum Pharſalicas Muſæ acies canent,
Stabit Deiotari laurea; Iulius
Mixta ſuis feret in trophæis,
Quæ victus meruit FIDE.
Sed quis Mæonij carminis alite,
Te Princeps Boici ſanguinis efferet?
Cui Fidei tribuit ferendam,
Pridem Deiotarus facem.
Cum certo augurio Cæſaris alites
Te caſtris comitem prolicerent ſuis,
Quàm nitidos, face ventilata,
Effudit radios FIDES!
Cum primùm Auſtriacis emicuit iugis,
Mox rerum facies pulchrior, vt diem
Cum tenebris vehit effugatis,
Curru Phoſphorus aureo.
Et fax hoc potuit luce, vel igneis
Strictùris obiter proſilientibus
Quanta tibi comes iret Ætna,
Scintilla indicio fuit.
Fulgetris animus concidit; ignea
Cùm tantum attonitis mala *darent malum,*
Fulminibus timuère nudum
Obiectare caput tuis.

Senſit

Sensit perniciem se furere in suam,
Irritare faces ausa Bohemia,
Quod fatuos reputauit ignes,
Semet nunc fatuam vocat.
Sed te more pij sideris, aureos
Nil præter radios iuuit, & ô tibi
Innocuâ licuisset vti
Nata fœderibus face!
Quàm velles rapido parcere fulmini!
Exarmare metu vulnificam manum!
Stigmate nemo hodie vstulatus
Pœnis ingemeret suis.
Posthac ceu Pharijs pendula turribus
Lampas monstrat iter, sic tua posteri
Aurea facta sua putabunt
Æternam FIDEI *Pharum.*

EADEM tempestate, qua Boiorum in Asia nomen Deiotarus Tolisto-Boius ingentibus factis celebre reddidit, Boij è Boiohæmo, in Noricum, ad expugnandam Noreiam nobilem vrbem, vnde regioni nomen hæsisse putamus, expeditionem susceperunt. Cuius quis omnino successus fuerit, litteris proditum non est: Nam quòd Plinius, qui sub Vespasianis scripsit, eam interisse auctor est, id ad hanc oppugnationem referri confidentissimè non potest: Verùm cùm sub idem tempus Heluetij finium suorum angustias causati domo proficisci meditarentur, in eius consilij

communionem Boios etiam egregiâ virtute cognitos pertraxêre, qui magnâ collectâ manu, post quingentos, & ferè quinquaginta, à prima in Boiohemum immigratione, annos, ante Christum verò L V I. in Galliam veterem patriam profecti sunt: verùm eo in itinere, cum fortem aduersarium Iulium Cæsarem nacti, magnâque, commisso prælio, exercitus parte multati essent, reliquam tamen multitudinem Ædui, vt in suis finibus collocaretur, à Cæsare impetrârunt. *lib. 1. de bello Gallico.* Illic Boij variâ aliquamdiu Fortunâ vsi, eò tandem felicitatis euasêre, vt, cum Æduorum etiam nomen extinctum sit, ij non perennârint modò, verùm, labentibus annis, ad ipsum Galliæ regnum, & *lilia* ascenderint; nam Gallicæ gentis scriptores complures in eam sententiam conspirant, eos qui hodie *Borbonij*, penes quos corona Galliæ est, vocantur, à priscis Boijs descendere; quod quidem vt propitiæ fortunæ munus habendum est, tamen vel paucula illa, quæ his trophæis exornandis, ex antiquitatis memoria, adduximus, testimonio sunt, Boios profectò cum fortuna strenuè manum mouisse; adeóque parta decora, non tam illi, quàm virtuti debere: Quemadmodum huius temporis felicitatem Boicæ gentis æstimantibus, dubium videri potest, *Felicior* an *Fortior* Princeps sæculo nostro obtigerit; quanquam illa iucundissima

dubi-

dubitatio est, nescire quam in Principe primam laudem dicas, quem certum sit omnes mereri: vt cum posteris optima quæque, id est, maximas virtutes publico voto precabimur, nihil necesse sit, singulos Principes obire, & priua ab ijs decora carpere, quod Romæ factum scimus, cùm aliam ab Augusto, aliam à Traiano stipem, acclamationes populares raperent. Det modò his Deus virtutibus æternitatem; & vt posterorum quisq; huic Vni similior, ita melior erit Princeps.

TROPHÆVM FORTVNÆ.

Nunc tandem areolas beatiores
Audaci iuuat inuolare dextra;
Et si quis melior per arua Flora,
Per rosaria candidata Pæsti,
Per Plantaria purpurantis Hyblæ,
Per Semiramidis venusta Tempe,
Natus sole rubet propinquiore,
Indutus tunicâ, vel hac vel illâ,
Et quocunque superbus in capillo,
Totum flosculus explicauit ostrum,
Audacter rapido metatur vngue:
Parcentes ego dexteras perosus,
Stipatos Calathos, & arrogantem
Hortorum decimam aureis canistris
Non vnâ vacuabo sparsione;
Heroes Boicos, piósque Manes,
Iam pridem Elysium perambulantes
Tota veris inebriabo præda;

Aut si parcior est futura Messis,
Nos nos lilia, *nos rosas loquemur,*
Et nostro viridario beati
Supplicare negabimus modestis,
Vnguem qui metuunt suis rosetis,
Et florum timidè tuentur aurum,
Vt quondam vigilata quæ Draconi
Scimus Hesperidum fuisse mala:
Sed grassabimur ampliore prato.
Quidquid Gallia Mater illa florum,
Et puerpera dicta Liliorum,
Nutrit, vel niueo decens capillo,
Aureóue superbius galero,
Scutorum radiare iussit aruo,
Cum dignâ cuperet locare dextrâ,
Nostris ambijt erogare Boijs,
Quando Borbonijs *tuenda* Diuis
Scutum, Lilia, *misit &* coronam,
Solis symbola Regibus ferenda.
Hinc stipare manus, & imbre florum
Boiorum iuuat implicare Manes,
Qui virtutibus astra consecuti,
Grande auctarium, ad vltimos Nepotes,
Regnum nobile messe Liliorum,
Et candore *suo, &* cruore *pictum,*
Inter mille trophæa detulerunt;
Nam qui lilia candidata lacte
Iunonis rigat, vberíque tantum
Imputat malè credulus colorem,
Lacte abutitur, & nimis poëta est:
Sed qui lilia Gallicana casto

Virtu-

Virtutum negat esse picta succo,
Naturam puto nescit hortulorum,
Qui Regum capiti ferunt coronas:
Sudor *optimus imber est honorum,*
Et quæ laureolis amica frons est,
Cum lauros volet irrigare, sudet,
Quævis guttula bacculam creabit:
Sed qui prodigus vtriúsque fontis,
Sudorem roseo cruore miscet,
Et flores iubet ire purpuratos,
Hortenses alet vsque, & vsque Reges:
Non tantùm Furijs citatus Aiax
Suum sanguine nomen, & querelas
Floris Oebalij in coma exarauit;
Hæc communia iura sunt virorum;
Quidquid sanguine perpluêre, flos est.
Hinc tot sunt Boica roseta gentis,
Orbem ipsum sibi pænè fecit hortum;
Cum se cingere flore transmarino,
Cum volet Latióque, Thracióque,
De suis metet areis coronas;
Certè nupera ab irrigatione
Gens tota erubuisse visa florum est;
At cum non caperet caput coronas,
Quêis Princeps Boicus dedit colorem,
Vestis Principis imbibit colorem;
Hinc iam cernitur ire purpuratus.

CHRONOSTICHIDES
DVODECIM STATVIS TRIVMPHALIBVS
subscriptæ indices anni Christiani, quo Serenis: Boiorum Princeps &c. MAXIMILIANVS Septemuir Imperij inauguratus est.

Sub Statua

Religionis.	Deo, VIrtVtI, reLIgIonI MILItaVI.
Prudentiæ.	Vera prVDentIa CaVsa trIVMphI.
Iustitiæ.	IVs perDItVM reVoCaVI.
Temperantiæ.	teMperantIa DVX VICtorIæ.
Fortitudinis.	ArDVa agere, & ferre ChrIstIanVM pVtaVI.
Vigilantiæ.	eXCVbIIs fIDeM tVeor.
Magnificentiæ.	MagnIfICentIæ sVasV thesaVros effVnDo.
Politiæ.	poLItIæ Lapsæ DeXteraM porreXI.
Occasionis.	VenI, VIDI, VICI, teMporI InsIstens.
Pacis.	paCeM patrIæ & IVra reDVXI.
Fortunæ.	fortVnâ Dante CaVsa IVstIor trIVMphât.
Bellonæ.	beLLonæ fVrores IVstâ VI DoMVI.




IHS